





Biblioteka Jagiellońska
stdr0002868


V
B J
C





PHOENIX RHETORUM,

Seu

RARIORIS ATTICISMI,

NEC


Vulgaris Eloquentiæ Fundamenta in usum Oratorum proposita.

Authore Joanne Kwiatkiewicz, Societatis Jesu



Cum Privilegio Sac. Cæs. Reg. Majestatis.

PRAGÆ, Typis Academicis, in Coll: S. I. ad S. Clementem. 1690.



LECTORI Benevolo, imò & Malevolo Auctor.



Tticis multum omnis ætas detulit, ubi eloquentia fasces tenuit in Pericle, culmen in Demosthene. Vsque adeò non mella tantùm ex Attica, verùm & melleus in dicendo profluxit lepos. Ab hoc fonte novos mihi derivare placuit aquæductus, & dare Atticismum extra Græciam & Athenas; nè solæ Gellij Noctes Atticæ lucem ac diem viderent, vel sola gustulum ingenijs moverent Attica Bellaria. Pontani Svadam quidem Atticam Puteanus dedit Belgio; imò & Latio toti; sed eam nullis legibus instruxit, quibus tamen se illa patitur circumscribi in hoc etiam libertatis regno. Has dum ego non inter Græculos graculósve-

ve-

ve aut Athenarum noctuas, ſed inter Poloniæ vel ingeniorum aquilas, è vulgo inire gratiam nauſeantis ſæculi laboro, quā veterum ſubinde capit faſtidium tædiúmque, nec ſapit, quod non Atticum penu condit aut inſperſit. Neq; per hæc veterum fontes obſtruo, ſed recentis etiam facundiæ ſitim famémque (nè vetus jam & toties reſorpta crambe faſtidio quoſdam prope enecet) injicio. Videat ſeſe in novo etiā cultu Regina mentium Eloquentia, nec unam ſibi tantùm, eámque veterem ac longo detritam uſu ſyntheſim inducat, quin artifice contextum ingenio Paludamentū illam efferat ſupra vulgus. nam vulgarem cultum refugit trabeata Majeſtas ſeu in Principe, ſeu in ſermone. Nec titulus libello inditus offendat: Phœnicem dicimus, quòd rarius ſit eloquentiæ Atticæ ſpecimen, ùt illa etiam Arabum ales: Non quòd, ùt - - -

Phœnix unica ſemper avis) talis Oratio non ſit plurium, ſed quòd paucorum. Ergo hæc in lucem publicam protruſa boni conſule; &, ſi fæcunditatem ingeniorum

non penitus odisti, contra maligna, si quæ sunt, quorundam ingenia tuere. Neque invidiæ plenum Atticismi encomium affecto, quod illi Quintilianus inscripsit, quo teste, Atticè dicere, est optimè dicere: sat præmij labori improbo retulisti, si hanc etiam (quæ communis Rhetoricæ notio est) artem bene, etsi non optimè, dicendi definieris. Quod si neque hoc à te impetraverit; saltèm, titulo Phœnicis respondeat, eam in ignem & cinerem (quæ postrema Phœnicis fata sunt) destinabis.



PARS I.

Fundamenta Eloquentiæ non vulgaris.

Unaquæque moles suis insistit tutiùs, solidiùs inhæret fundamentis; nisi velit, (ùt canit Lyricus)

- - - redordiri probrosum
Icariæ sonitum ruinæ.

EAdem non aliter in fastigium, nisi ab imis assurgit: nam vergit in præceps, quidquid aliter sub Cælum ivit. Nec Eloquentiam vulgari contrapositam, quæ fulciant, ac in sublime erigant, destituunt fundamenta; à reliquis molium substructionibus eò vel maximè discernenda, quòd quisquis hæc ritè posuit, jam admirabilis Orator evasit, qui

Et digito possit monstrari, & dicier, Hic est.

Fundamenta hæc breviter propono, mox operosiùs collocanda.

Sunt autem hæc;

I. Sensus Admirabiles.

II. Eruditionis usus non vulgaris.

III. Mirum Acumen.

IV. Descriptiones Admirabiles.

V. Affectus non vulgares.

VI. Mira per allegoriam, & insigniores Figuras styli exornatio.

VII. Circumstantiarum, rerúmque mira combinatio.

VIII. Amplificationis usus singularis.

IX. Argumenti tractandi varia, nec obvia ratio.

X. Numerus Oratorius, & Admirabile decorum.

Ca-

CAPUT I.

Primum non vulgaris Eloquentiæ Fundamentum.

SENSUS ADMIRABILES.

INtelligo ſenſus non obvios, ſed velut illuſtris ingenij partum prænobilem, ſublimem, minimè expectatum, & argumentum alioquin humile, ſua granditate attollentem. Quia tamen non à cujuſque Jovis cerebro facilè talis ſperanda Pallas; hìc ingenium, ſi quod in te eſt, ad illuſtrem hunc fœtum informabitur.

Senſus ergo Admirabiles deducuntur vel à Paradoxis ac inſignioribus Hyperbolis, vel à ſvavi rerum, ac verborum pugna, vel à grandibus gravibúſque dictis, & vibrantibus ſententijs: vel à miro acumine, vel eruditione, mirè ad ſenſum accommodata, vel à Cauſis ingenioſè ac præter opinionem adhibitis: vel à ſenſibus reconditis, ac profundis, quæ omnia exemplis illuſtro.

§. I.

Senſus non vulgares à Cauſis ingenioſè adhibitis.

INgenioſa ætas non ſegniter hìc deſudat ac eminet, dum rerum ac eventuum Cauſas, quas non facilè ſperes, adſtruit, ingenij melioris fœtum omnino admirabilem. Triplices hic cauſas

intelligo. Imprimis per se, ac primo aspectu ingeniosas: Hæ autem causæ desumuntur, tum ex Eruditione ingeniosè accommodata; tum ex grata, & insperata oppositione; tum ex inventa connexione arguta effectus illius ad Causam: tum ex fontibus acuminum cap.3. aperiendis.

2. Notas quidem & obvias, sed non sinè quæsito colore propositas.

3. Sententiam gravem, ac vibrantem, dicto, vel facto alicui per modum Causæ adnexam.

Primi & Secundi Modi exempla hæc accipe.

EX hoc fonte habet suam admirabilitatem illud Plinij de Nerva Imp. *Eò Carior omnibus ac desiderandus, quòd prospexerit, nè desideraretur.*

Et de Nazianzeno, Athenas profecto Studiorum causâ illud: *Athenas profectus, ut Minervā raperet (quæ scilicet ibi unicè colebatur)*

Et de D. Gregorio Thaumaturgo: *Sub frigido Cælo natus, ut illud ipsum incenderet.*

Et è contra de Nerone: *Patriam incendit, ut extingveret.*

Et de Phaëtone; *Phaëton fabulas illustravit, quia mundum accendit.*

Et illud de Vespasiano: *Hierosolymæ ut clauderet fores, Iani fores aperuit; ut pacem pareret, Bellonæ nupsit, suum scripsit nomen, cùm illam urbem delevit.*

Illud verò Causæ de D. Fulgentio ex Africa

pulſo, quis non miretur & approbet? *In Sardiniam relegatus, quòd gemini ſolis ardores Africæ pati non poſſet.*

Et illud de Viro doctiſſimo inter Cardinales adlecto: *Inter Purpuratos Romæ Patres adſcitus eſt, nè ſuus deeſſet Mercurio galerus.* (*hoc utique capitis inſigne Mercurio tribuunt Poëtæ.*)

Poſſunt & plures ſimul Cauſæ hujuſmodi conglobari. Sic de S. Thoma Aquinate: *Iacentem humi, nuntiam ſalutis Schedam, bonam ut aleret indolem, deglutivit; ut mirandum non ſit, ſi Sapientia, quàm ætas citiùs adoleverit: hanc enim guttatim cum lacte ſuxit, unico illam hauſtu exſorbuit, bolo unico abſumpſit.*

De D. Cypriano: *Vt Africa geminaret ardores, natus in Africa, ſuum etiam Carthagini Tullium dedit; ut quando deſierat armis cum Roma contendere, eam conaretur facundiâ ſuperare: Idem ut virtutes meteret, vitia demetens; ut veritatem firmaret, errores penitus enervans: inſontem Athanaſium damnare abnuens, nè ſe quoque damnaret; peccata neſciens, niſi ut corrigeret; ærumnas omnium ſcire ambijt, ut leniret.* En ſenſus inſignes à Cauſis non vulgariter propoſitis! ſic item conglobantur Cauſæ in hoc exemplo de Joanne Caſimiro: *Signatas Vladislai laboribus metas obiens æmulo gloriæ paſſu grandibus inſtabat veſtigijs, nihilque deterrere poterat animum ſemper infractum ac ſibi ſimilem, nè Conſtantiâ natum te orbis ambigeret. Hinc regnum Tibi Patria detulit, nè tantæ virtutes Principis*

non incederent Coronata, nulli quippe meliùs incumbit capiti Corona quàm quod antè sua merita coronaverunt: Meretur sceptra bene ferro assveta manus: & Capiti, sæpè galeâ presso, mitiùs incumbit pondus terrarum.

Huc spectat illud brevius, sed vibranter dictum: Nè solus Apollo suis se commendaret Oraculis, à Te quoque responsa petuntur, quem, quoties peroras, beata circumfluit Oratio.

Et illud: Duces illos mitrâ & galeâ malè usos, nè semel perirent, sæpiùs fugavit.

Dixi tertiò, ad causam ingeniosam referri vibrantem sententiam, quod patet tum ex proximè dictis, tum insuper ex illis de Antiocho Rege: *At nè perturbatè peccet Antiochus, ordinem tenet in scelere. A grandiori filio crudelitatem auspicatur. Aversanti scelus Martyri lingvam præcidi jubet: nam prima Tyranni cautio est in lingvas. Post lingvam Martyr utramque manum postulatus citiùs porrigit, quàm jubetur; & hoc Tyrannicum est manus formidare post lingvas.*

Paria ex eodem fonte sunt illa de alio Duce: Una Regalibus exuvijs loricata bellua sessorem testabatur Regem; hunc Dux noster, virtuti tuæ scopum destinat: Sic eunt humana, in conspicua collimatur. Sed loricam hostis objecerat telis pectore vacuam: Hi mores Tyrannorum: arma gestant, non animum: timent, dum timentur. Par illud de Tito: Liberalitatem acri delectu exercuit, ut daret, non projiceret beneficia;

ficia; turpissimum genus damni existimans inconsultam donationem.

Sic de S. Francisco Xaverio Viaticum ex Europa recusante: *Recusato viatico longissimam se dat invij maris in viam: in maritimis enim periculis lenissima supernatat uno satis onusta Deo mendicitas.*

§. II.

Sensus à Paradoxis & insignioribus Hyperbolis deducti.

PRimò ingeniosum Paradoxum efficit sensum admirabilem. Id verò sumitur potissimùm ex oppositorum nova conjunctione, aut unius oppositi in alterum quadam transmutatione: item cùm credibile effertur per modum incredibilis. Patet id in sequentibus Exemplis. Hinc ille sensus de eximio Oratore deducitur: Disertissimus etiam dum taceret; nunquam avidiùs audiri optabatur, quàm cùm auditus diutiùs fuisset.

Illud verò de Claudio nónne vibrans Paradoxum? *Ante Imperium sinè fama fuit, quia latuit: in Imperio infamis, quia non latuit; clarior futurus, si fuisset obscurior.*

Et illud mirabere Paradoxum de Sanctis: *Æternitatis felicissima lumina, è piarum fertili pluvia lacrymarum sublimiùs enatastis; formosiùs enituistis: facilè nimirum lacryma ignescit in sidus, quia liquor Amoris est, ex quo etiam oritur non occasura diuturnitas:*

nec enim occasum habet ea felicitas, cui vel ærumnosa lacrymæ cadentis unda latissimus Oriens.

Et de Nolano Antistite Paulino: *Omnium infelicissimus sibi visus, si ullo felicior extitisset, nunquam liberalior, quàm dum non haberet ultra, quod daret Nunquam ille illustrior, quàm inter tenebras carceris, quò arctiùs tenebatur, eò liberiùs in cælum evolans, tum primùm sibi victor visus, cùm deesset quod vinceret.*

Nec illud Paradoxum suâ caret admirabilitate: Non sola parturit pugna laureas: subinde pulchriùs fuga triumphat, adeoq; meliùs pedes, quàm manus tuentur: tam quadrigis quàm pedibus itur in Capitolium ad triumphos; vitiorum sibi fugam nemo infamem duxerit: fugis hæc? vicisti, nec pulchrior victorem, quàm Te profugum cingit laurea. At nec fortibus in bello fuga intra probrum. Parthos vides, nunquã hos metuas, nisi palabundos conspexeris. Laureas illis fuga nectit, fuga trophæis condecorat: non tam fugere, quàm fugæ specie victorias insequi videntur. Adhuc reformidat Mantuanus Maurum, victorémque fugâ Parthum, versísque sagittis.

Secundò Insigniores Hyperbolæ faciunt sensum admirabilem.

NOn illæ Poëticæ: *Fulminis ocyor alis.* Vel: *Ocyor & ventis, ventósque æquante sagittâ.* Sed Panegyricæ, & quæ Paradoxum contineant, alio tamen modo, non ùt proximè dictum; nem-

nempè dum incredibile ponitur per modum credibilis, impetu effuſo laudis vel extenuationis.

Talis eſt Hyperbole illa de illuſtri Heroë: Non minus à Te Patria derivàt luminis, quàm ab aſtrorum principe minora ſidera ſerenentur.

Hyperbolicum & illud eſt, at longè pulchrius de Vladislao IV. *Hæc bellorum extrema eſſent aliis, ſed Tibi rudimenta; ſecula tot alios defeciſſent, quot Tibi erant ſatis ad victoriam dies. Tam aliis erat incredibile tantam belli ſuſtinere molem, quàm Tibi facilè tantam delere ruinâ. Quidquid humanas exceſſit vires, Tuas nondum aſſequitur. Nondum bello humana vis effecit, quod virtutis Tuæ exiſtimatio ſinè bello. At nec tam Celer eſt ſtylus noſter, quàm Tuus gladius, quo paucis annis tot ſeculorum Hiſtoriam dediſti; nec libelli anguſtiæ concludere poſſunt eam gloriam, quæ vix Cælo capi poſſe videatur.*

Grata & illa Hyperbole de Sanctis: Suos Cælum reparat è noſtra mortalitate Luciferos, ex qua illis tot proveniunt ſidera ipſo quo capiuntur Majora Cælo, uno minora DEO.

Item illa: Nubilum tonantémque Patrem illæſa ſerenitate excipiens, credi potuit altitudine mentis Olympum excedere.

Et illa de liberalitate cujuſdam: Totam Tibi gloriam exhauſiſti, ità munificentiæ genio asſvetus, ut nec horam perdideris, ubi Titus diem. Oceanus eſt, quem affundis, non modicus latex gratiarum: Pluribus quàm Ægypti flumen o-

ſtijs, aut quàm Thebarum portis exeunt à Te congiaria: & adhuc exhauriri nequit Tuæ beneficentiæ Nilus.

Illæ autem Hyperbolæ de præcoci cujuſdam adoleſcentis virtute, an ſenſum non pariunt admirabilem? Ejus prætexta multorum togas vicit: ſemper ille pollicitus majora, cùm daret maxima; in ipſa ætatis aurora quendam exhibuit meridiem, & ubi vernant alij, autumnavit; adeóque neſcias, an virtutem ex inſtitutione traxerit, an ex utero, quam cum lacte imbibens, cum ætate corroborans fecerat incertum, an in eo virtus differret à natura: Denique puerile nil unquam præter ætatem præ ſe tulit.

§. III.

Senſus non vulgares ſuavi rerum & verborum pugna ſeu oppoſitione deducti.

VIx quidquam admirabilius eſt, quàm Concors ſententiarum diſcordia, ſeu oppoſitorum ac inter ſe pugnantium, vel quaſi oppoſitorum jucundè connexa coacervatio vel conciliatio. Tale eſt illud: *Aula gravis fuerat, quòd levis eſſe neſciret; vir in omnibus aureus, niſi quòd avaris haud placeret.* Ab oppoſitis & illa ducuntur dicuntúrq; de Auguſtino: vera gaudia auſpicatus à gemitu, tenebras ſuas dum in lucem edidit, illuſtravit; nunquam videlicet puduit ſolem à tenebris erupiſſe. Felix ille, dum errores deleret alienos; ſincerus, dum nec tegeret ſuos.

Non

Non minùs & illa de insigni Duce admiranda: Nemo tantum districto valuit ense, quantū Tu in vagina recondito; posuisti militiæ rudimenta victorias. Veteranum si de peritia æstimem, nunquam Tu tiro; antequam bella disceres, docebas. Cùm nullas adhuc haberes à fama suppetias, solâ virtute pugnâsti; Mensem omnē Martium efficiens, Januarium ipsum servire bello coëgisti. At verò monte non deteriùs quàm campo usus, docuisti virtutem Ducem, non locorum Fortunam bella decernere. Nullibi tamen majores sensisti angustias, quàm ubi veniā locus non caperet: semel proinde severus, nè semper esse cogereris, paucorum exitio cæteros monuisti, ut Te hospitem mallent, quàm hostē.

Et illud de Elia: Nil tristius videre mortales quàm serenum triennio Cælum; hilarâsti terram cùm triste fecisti cælum: siccâsti lacrymas, cùm fudisti aquas &c.

Ad eundem fontem spectant illa de Ambrosio: *Re quàm nomine dulcior, mel antè habuit in ore quàm voces: idem avorum gloriâ illustris, illustrior suâ, Christianus esse cœpit, priusquam fieret. Ità miseros adiit, ut felices dimitteret; ità feliciores admonens, ut redderet infelices: in hoc timendus, quòd neminem formidaret; sæpè depressus, ut causam erigeret oppressam: probis factus asylum, flagellum improbis; ara supplici, reo scopulus. Deniq; eò meliorem reliquit Vrbem, quò deteriorem acceperat; laborum nunquam avidior, quàm cùm diutiùs laborasset.*

Par illud de Aloysio Tolossano: Non ideò innocentiam minuit, quòd augeret ætatem; aliorum nunquam oblitus, sui sæpè immemor; ut vitam p oduceret alienam, contraxit suam; addens meritis, quod annis ademisset.

Spectat huc & illud in Tiberium. *Averum gesta suo testatus calamo, sua gesta nepotum calamo reliquit detestanda. Triumphavit semel, pugnavit nunquam: omnia in Imperio habuit præter Imperium: octies sinè consilio Consul: Gladium fugiens, sceptrum invenit. Scelera si nescivit, in regno didicit licentiâ Magistrâ.*

Et illud de occumbente gloriosè: Erigitur in sublime gloriæ, qui sic cadit: ruinâ hic altiùs assurgit: vivere incipit, qui sic moritur: oritur, qui sic occidit, ipsa denique morte redditur immortalis.

Etiam Divus Augustinus hoc modo utitur, dum ait: Ideò volunt esse miseri, nè miseri sint. Fur nè miser sit, malus est, & ideò miserior quia malus.

§. III.

Sensus à gravibus dictis gravibúsque Sententijs deducti.

ÆQuè hìc ac in superioribus dicendi modis recentium ingenia elaborant. Graves sensus distingvo à gravibus Sententijs seu gnomis; nam illi possunt esse sinè gnoma vel sententia, modò suâ supra vulgares emineant granditate, quam illis erumpens ingenij ac prudentiæ doctri-

ctrinæque perspicacia conciliat; Sententiæ verò graves postulant rotundam & svavem rei sensúsque comprehensionem universaliùs propositam.

Gravis illa & gravibus referta sensibus
Oratio ad Attilam pro Roma:

Flagellum DEI te insolenti vocabulo, Princeps, vocari præcipis; proinde ùt flagellum Te salutat Roma, & timet. unus Tu es, quo nimiã urbis felicitatem Superi castigare volunt. Sed quid? Romam ergo pessumdabis? at quod in ea crimen tanta eluat clades, haud reperis. Sit verò noxia; at supplex est. Vide quæ Tibi urbs supplicet, & noxiam donâsti. Desint cætera, summum parcendi illicium est, Roma supplex. Adhæc insolens id Elogium est, Romæ pepercisse. Annibalis olim arma exhorruit: sed habuit adhuc, qui Pœnorum fastum frangeret, Fabium Cunctatorem; nunc togata non ab armis sed ab astris, & Tua Clementia petit opem. Equidẽ si urbi arma infers, mœnia in planum submittis, perijt cum Urbis nomine Tuum nomen, ejus insepeliendum cineribus. Invidiam posteritatis non effugis, si tantæ Urbis amas ruinam, tot odiorum futurus victima, quot audient legéntq; tuum facinus. Adeò Tua simul pessumit gloria, si Roma per Te concidit, & dum illam vulneras, Te obtruncas. At nec Tuis ità viribus viríſque præfide, ut fortunæ præceps non pertimescas. Habet adhuc, quod paveat, quem multi expavescunt. Communis Mars est, & eidem laurum inserit, cui Parentales taxos plantaverat; *Sapè me-*

medios secuit triumphos contemptus hostis. Ergo parce, ô Flagellum Cælitùs intentatum, parce insonti, parce supplici Romæ, gratiam diu retinebit, si quam ei victor præstiteris; nec Tyberis facti memoriam abolebit. Quod si aliud animo insedit, age Princeps, Urbem irrue, Sacra omnia profanáq; pollue, aderit innocentiæ, aderit scelerum vindex Deus.

Gravissima & pulcherrima illa est Oratio Eleazari Cibos vetitos mandere detrectantis, contra amicorum Consilium. In hac autem quàm graves sensus apud Thesaurum.

Quod svadent amici, etiam hostis svadet; bona fide ad cænam vocatis, quam Tyrannus parat! at egóne hoc ore leges violem, quo legem doceo? At moriar? necessarium utrique malum minatur annosus tortor. dandum hoc vitæ pensum, quod qui perendinat, morti fœneratur diu moriens. Non æstimat annorum meorum pondus, qui morte me leviorem putat; ergo pulcherrimam vitæ fabulam in extremo actu corrumpam? Sinè fruge hanc frontem aravit tempus, nisi laureolam meto. In hoc nascimur, ut honestè cadamus. tum dignum est mori, cùm indignus es mori. Cur ferre verbera hac ætate non possim, quâ Tyrannus potest infligere? tam contra senectæ mores crudelitas est, quàm fortitudo; pudor sit, si naturæ imbecillitas vitio suppletur, non virtute. Pridem in hoc initiatus sum Sacerdos; mei muneris est sangvinem fundere, nec semper ferinum. Quousque minoribus vi-

cti-

ctimis operor ignavus Mystes? tot hostias feci, ut semel hostia fieri discerem. Ergo mortem appara, Tyranne, bene mihi cautum est, non possum totus mori. Virgas expedi, solum pulverē excutient, & hunc reparabilem

Vide quantum grandes sensus & illam attollant Sententiam: *Animi pusilli est vindictam velle sumere*, quæ sic Synonymè effertur. Injuriam Tibi quis intulit? feras, neque plus pervicacia, quàm virtus possit. Experimentum in Te capiat aliena nequitia, num illa plus ferire valeat, quàm tu ferre. Fortem te cave dixeris, qui læsus à vindicta quæris suppetias, nec satis Tibi animum virtus obarmat. Langvet nimium virtus, cui sub quovis ictu succumbit animus. Atlas non es, si sub cælo hoc quantumvis gravi leviter ingemiscis. non satis compacta navis, si eam in hos illisam scopulos fluctus hauriant, & virtutis naufragium inducant. Certè conviciis non regerere convitia, probra non diluere probris, id demum Herois est; nec prodigio vacat, si nubes hæ fulmina non pariant aut emittant.

Vide & Elogium senectutis: Senectutem cave oderis, cui ætas diuturnior injicit amorem. Ad senium aspirat, quisquis mortalium mortem odit. at verò vivit hoc in te odium, quamdiu vivis. Ad hæc senium prudentiæ sedes est, & maturus consilij fructus ex Inversa hac dependet Arbore. Stat illa, & totam Prudentiæ fructibus, uberiùs quàm Alcinous alit Patriam.

Sic de Stilicone Claudianus: *Nil breve moliri*

liri faſtíſque loqui tam digna futuris à te deponitur ocyùs ira, quàm moveat. Et illud: *Senſúmque malis detraxerat uſus.* Quod Lucanus; is vel maximè hic regnat.

ADDO

SEnſus prædictos uſurpari non invenuſtè etiam in narratione Oratoria, permiſcendo illi graves Sententias. Sic de Miecislao dicit Author Lechiadis: Mitem aliàs Miecislaum Purpura efferavit; pejorem enim facit quem malum dignitas reperit; & pleriſque Imperium pro crimine, Fortuna pro ſcelere fuit.

Item de Premislao II. Æternitatem promeritus temporum, non integram menſium hebdomadem implevit: rarò nempè bona eximia & diuturna contingunt. Primus illi labor fuit invidiam magnæ Fortunæ parem eludere; ubique enim magnæ felicitatis comes eſt invidia, nec ulla tam modeſta extitit fortuna, quæ malignitatis dentes vitaverit. Principum diſſidijs turbata non nihil conquievit Reſpublica, omninò reſpiratura, niſi illi expiraſſet. Heu ùt nulli ſerenus non inimicus turbo! Perſtrinxerat tanta Serenitas Brandeburgenſium animos: cauſam odij quæris? Fortuna fuit, quæ in pleriſque pro culpa eſt. Plurima hujuſmodi apud eundem alióſque videbis.

Huc pertinet & illud de illuſtri Heroina in funere illius dictum: Nec tamen ità Majorum illuxit fulgoribus, ut non ampliùs luceret è ſuo; exi-

exiguam rata lucem quam darent famosæ imagines, vel atræ post funera faces incenderent, nisi eam aurea probitas intendat extendâtque, æquè Lunam Stellarum ac Heroinam virtutem illa decere censuit comitatum.

§. V.

Sensus à miro acumine & argutijs hinc inde inspersis deducti.

DE Acumine & argutijs infrà fusè agetur, ac de earum fontibus, illos adi, & ex illis sensuum admirabilem copiam ubertim hauries. Hìc tantùm, quàm admirabilem acutæ argutiæ reddant stylum, paucis exhibeo.

Quàm enim illud pulchrum & acutum Valerij Maximi: Ex ejus vulneribus non plus sangvinis quàm gloriæ promanavit. *Cui simile Masculus de Iosepho Patriarcha*: Ex sicca cisterna Tibi manavit fons Gloriæ. *Acutum & illud de S. Ioanne*: Non gelu formidabas, in cujus pectore melior arsit flamma: durius Tibi cervical saxa præbuerant; sed lacrymis, quas noctu fuderas, molliora effecisti. Et *illud de Iosue*: Sol non occubuit, antequam hostis: quò longior illuxit dies, eò pluribus vitam cum luce ademisti. *Et illud de Enoch apud Masculum*: Recepit iterum hominem Paradisus, vel ideò tutus quòd abesset jam mulier.

Indicant & illa, de aranea Divo Felici ab hostibus conservando prodigiosè obtensa: Felicem

te nomen loquitur, sed felicitatem nominis auxit aranea, sub cujus tela, hostium tela effugeris. Nimirum felicem etiam celat aranea, etiam tum felicem, cùm videri potuisset infelix. Hoc illud velum est, quod Imagini suæ non sinè prodigio Deus Apelles obtenderat &c.

Idem indicant illa de Antistite Mirensi stipem auream in dotem egenorum erogante: Hodie tandem dies aureus, imò aureum effulsit seculum. Nicolaus melior Midas in aurum omnia, etiam dies immutat. Nempè mens aurea, in aureum facilè degenerat Pactolum in commune fluctus aureos despumantem, qui non arenam, sed glebas devolvit aureas, & in miseros absque sui diminutione profluit. At aurum hoc in subsidium virtutis manat, cùm datur Pulcherrimis, quæ impares numero, pari cumulantur beneficio, nè tanto muneri suæ desint Gratiæ. Desineret jam esse Fabula quæ de Phryxi vellere circumfertur, si sæpiùs Pastores, sic aureo gregem vellere confoverent.

Huc spectat cum aliqvid latens eruere debet potestque Auditor ex tuo dicto, ùt ex illo Plinij: Persvadendum Provincijs erat, illud iter Domitiani fuisse, non Principis.

Acutum & illud in Plinio: Non eligo quæ referam: Propositum enim est mihi Principem laudare, non Principis facta; nam etiam mali laudabiliter multa faciunt, ipse laudari nisi optimus non potest.

§. VI.

§. VI.

Sensus, per sensus reconditos.

SI res efferatur per sensus reconditos & profundos, ac docti specimen referentes, admirabilem arguet Oratorem. Sensus verò hujusmodi sumuntur à nova rerum combinatione, vel contraria experientiæ ac effato, sensuíque communi; vel hæc superante; vel ex aliqua rerum Analogia ac Sympathia combinationi ingeniosæ deserviente. Ad hunc fontem pertinet illud de Moyse: Sanctum Ductorem ùt seductorem Populus criminatur; adeò nec probi immunes à probris. Profuit Moysi Pastoritia: Didicit cum brutis vivere.

Item illud de Occisis in bello: Hic ab invicto Duce deletos vides: unde vixerint nescias, nisi à tumulis, qui hæc nomina viréſque oppressere. Et de Ezechia Rege: Primo Imperij anno templum aperuit, quod nihil sanctum pænè videatur nisi Regem:

Et de superbi tumulo: Avito illi sepulchro interdicitur, agro quem coluit tumulatus, adeò superborum viciniam horrent vel mortui.

Et de Sanctis innocentibus: Vix è materni sinus portu solverant, suo in cruore naufragium faciunt: nimirum hic etiam mare rubrum suo more naufragium est.

Et de victore ac venatore: Orbatas sideribus noctes pluribus victorijs illustravit: venationibus non tam feras quàm otia persecutus. Et illud:

lud: Fatis demum ſuccubuit, nulla magis quàm meritorum ſuorum mole laborans: nunquam mortalis creditus, niſi cum reipſa mori viſus.

COROLLARIUM.

Modus, leves & obvios ſenſus efficiendi graves.

Modus hic multiplex eſt; ego octo proferam.

Primus

MOdus eſt per aliquem ex ſex modis eruendorum ſenſuum admirabilium: nempe vel per ſenſum Paradoxum, vel per aliquem pugnantium nexum &c. Exemplis alijs id declaro.

Primò per ſenſum Paradoxum v.g. ſi velis miram & diuturnam à cibis abſtinentiam alicujus admirabili ſenſu efferre, diceres inſtar paradoxi: Famis per inediam opſonata. vel Famem ille in obſonijs, inter lautitias inediam collocavit, nihil ex divite delicatóq; epulo præter ſui victoriam ſolitus delibare. &c.

Similiter, ſi illud de Divo Alexio admirabilius efferre velis, quòd glorioſè latuerit, in paternæ Domus veſtibulo; diceres per Paradoxum & Antitheſim, Illuſtrem umbrã, & quòd magis claruerit, eò quòd latuerit: Etiã Te Domi quæſitæ illuſtrant adhuc tenebræ, Alexi, nec alia Tibi præ illis ad lucem potior via, quando etiam per noctem ad diem itur; obſcurior fuiſſes niſi lucem ſic odiſſes; quærit quippe tenebras, odit publicum ſolida virtus, nec minus oculos quàm

ſol refugit. Sic & gemmarum nitorem in conchis abdidit natura, & fulgorem auri intra montium venas abſtruſit!

Similiter ſi velis admirabiliùs proponere: Quòd ex adverſis magna ſæpè oriantur commoda; diceres: Prodeſt plerumque, quod nocet: Non ſola felices reddit felicitas, ſed acerbis etiã gravia, utilibus noxia permiſcentur. Non ſic nobis moliuntur exitium, non ſic ruinam omnia, ut his velut gradibus non celſiùs aſſurgatur. Latent plerumque in adverſis ſolatia, & nubes quæ ſolem tegunt: nucleus latet in putamine, in vili concha leguntur margaritæ, & marini fluctus naves hauriunt, ſed fundunt uniones: turbo inſtructã ad fulmina nubiũ perturbat aciem.

Sic de S. Helena tollente Veneris ſimulacrum: Novum tunc occinit fama; Helenam Veneri adverſam!

Secundò, per pulchram Oppoſitorum congeriem ſenſus Admirabilis efficitur ex obvio & ſimplici. v. g. ſenſus hic eſt ſimplex & obvius: Laudabile quandóque eſt eſſe ſeverum: diceres autem admirabiliùs: Non ſemper corrumpit humanitatis gloriam puniendi ſeveritas. Item ille ſimplex ſenſus: Nemo eſt ſinè aliquo crimine; quem admirabiliùs efferes cum Plinio: Adhuc nemo extitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur.

Huc illud Claudiani: *Quæ ſparguntur in omnes,*
In ſe miſta fluunt; & quæ diviſa beatos

Efficiunt, collecta tenes.

Et illud ejuſdem: *Hic publica felix,*

ſed privata minus,&c. quem vultus honeſtat

Dedecorant mores ; animus quem pulchrio ornat,

Corpus deſtituit: bellis inſignior ille,

Sed pacem fœdat vitijs, &c. partitim ſinguli quemq; nobilitant.

Item illud ſimplex dictum, Tolerabilior eſt mors miſeris quàm felicibus; admirabiliùs pro poneres: Quoddam felicitatis genus eſt, eſſe infelicem.

III. Per cauſam commodè adjectam ſenſu obvius attollitur, & admirabilior evadit. Si ſimplex ille ſenſus attollitur: In tua aula omne probi & timorati: Caſtigatos aulæ Tuæ mores qui inſpexerit, Numæ dixerit Regiam, in qu probitas fixit domicilium; nè ſub Virtute Do minâ diſpar famulitium pro foribus moraretur. Proſcriptam ab alijs pietatem ad Tuas æde invitâſti; ſolitudinem exiſtimans, ubi pulſi virtutibus ſcelera oberrarent.

Item: Nec literatos à Tuæ munificentiæ Nil excluſiſti: nè unum ſub Auguſto Mecœnatem orbis haberet.

Secundus Modus

Simplicem ſenſum mutandi in admirabilem per excultam Oratoriè Comparationem.

Si

SIc simplex sensus est : Crescunt scelera, nisi plectantur : sed admirabiliùs per comparationem effertur : Idem vitibus ingenium est & vitijs : exuberant, ni falcem sentiant.

Item ille simplex sensus : Hic homo claris est natalibus, per comparationem splendidiùs effertur : Cohibe oculos mansveta luci tantæ posteritas : Sapiehani ortus splendorem non quævis palpebra impunè adspexerit : Meridianum hìc crede solem, in quem oculos nemo conjecerit, quin vindex lumen in palpebra persentiscat, quasi nec modicam tantæ lucis usuram cælum ferat absque tributo lacrymarum. Sic & illud Aaronis dictum; Leviùs auctorem torsit Phalaridis taurus, quàm meus me vitulus : semel ille gemuit, ego semper. Potest ergo esse & comparatio Erudita, de qua mox.

Tertius Modus

Simplicem sensum mutandi in admirabilem.

PEr sensus Synonymos, seu per pulchram similium sensuum congeriem.

Sic §. 4. Suprà per sensus Synonymos exornatur illa sententia facilis : Animi pusilli est velle vindictam sumere. Sic & hìc in primo Modo exornatur illud Paradoxum : Prodest quod nocet.

Sic etiam per sensus Synonymos effertur illa Salustij sententia, Nemo per ignaviam factus est Immortalis : Adhuc nemo extitit, qui solius igna-

ignaviæ passibus ad Immortalis gloriæ fastigium evaserit. Altius equidem illud est, quam ut illuc testudo hæc pertingat: Nec Alpes Annibali, nec juga sublimioris famæ citra sudorem ulli patuêre. Caro emitur nec facili molli committitur ingenio Nomen Immortale. Odit inertem gloria, nec inertiæ manibus bene tanti pretij gemma teritur. Sudandum nam etiam ad hoc Famæ non intermoriturꝫ Latium per discrimina tenditur. Conjuratorum ventorum agmina non ignavus toleres necesse est, antequam hoc tam beatum litus teneas. Scilicet absque meritorum pennis ad sudum Immortalitatis evehare; Jacent hucusque & situ oblivionis squalent, qui delituêre otio, desidiâ diffluxêre. Adeò nusquam, ignavis immortalitas obtingit, qui Campanis emolliti delicijs Sybaritarum luxu virtutem atteri quondam passi sunt.

Similiter sensus hic simplex: Tenax es & avarus; ex hoc fonte sic mirificè exornatur: Etiámne aurum colligis, quod nunquam sparseris in commune? Inundat Te aureus Fortunæ torrens, nec superefluis? Domesticus te Ganges &

- - *sinè fæce pulcher*
Rivus inaurat;

tamen inde nè plumbeus quidem rivulus, in miserorum examina dimanat? Dives ergo tibi arca, & inops animus! Et ego te divitum syllabo accensuerim, cui nihil ad manum sit, quod alteri largiare. opulentum dixerim, à quo nil opis,

opis, nil opum expugnandæ aliorum inopiæ impendatur. tres tantùm Parcas numerat Poëſis, quarta eſt tua manus : Dum accipiendum eſt, Briarei manus Tibi vix ſufficiant; cùm largiendum, ſinè manibus es. En novum Judicis ſchema, qualem Thebani voluêre ! Hoc demũ eſt cuſtodem eſſe pecuniæ, non heredem : hoc planè eſt opes damnare ad tenebras, quibus unicè caves nè lucem videant.

Item ſenſus Synonymi illud attollunt: *Vince tuam tenacitatem , eſto liberalis : Iam tandem tenacitati modum pone, cui opum abunde eſt. Si trophæum Tibi placet, à Te ipſo illud exige , & primam duc in manubijs parcitatem. Vnicus Tibi hoſtis ſit avaritia, quam ſi vincis, pulcherrimè triumphâſti. Alibi hoſtes fundere, hìc opes effundere palmare eſt. Imò minus flagitioſum eſt armis, quàm liberalitate vinci. Ad hæc haſtis ad inſtar Philippi depugnet argenteis, qui nequit ferreis; vincat auro, qui neſcit ferro : etiam extra bella manus triumphat ; ſicut ibi armis hoſtem opprimit, ſic auro alibi ſublevat egeſtatem.*

Brevior illa Periphraſis Synonyma locò hujus ſententiæ: Sinè ſtipendijs miles torpet: Elanguit bellatorúm virtus , ubi nervu militis vires ſolidare deſijt. nec citiùs ferri uſus diſplicuit, quàm ubi pretium ferro deerat. Hebeſcit hujus acies, ſi aurum illud non acuat, & virtus manet abſque æmulo, ubi abſque præmio.

Quartus Modus
Sensum admirabilem ex obvio efficiendi.

EST per Eruditionem, seu propria Nomina appellativis substituta. Sic locò illius: sub Præceptore discipulus, pulchrè positum: sub Chirone altero Christianus Achilles, nescias an plura didicerit, an docuerit.

Eodem modo illud exornatur: Poëta ad hortos digressus: sic enim id exponitur: Ab Apolline ad Alcinoum, à Pallade ad Pomonā, à Musis ad montiū fontiumq; Nymphas digressus &c.

Similiter indolem N. inter alios eminentem describeres: Cyrus inter Pastores. Vel rarum ingenium laudares: Anacharsis inter Scythas. Et illud: Herculi suppar non unum suis laboribus fatigavit Eurystheum. Simile illud Stradæ de Belgio: Tot decennijs hæc Troja petitur, nec opprimitur

Ex eodem Fonte illud de Lesco Albo: Helena Matre natus, tamen nequijt esse Constantinus. Et illud Gvinisij: Plerique cùm perorandū est, alienam usurpant facundiam, cæteri suo Apolline delectantur & Minerva suâ. Item de bono successore: sunt pro Nerva Trajani, sunt Tibi pro Vespasianis.

Similiter illam sententiam: opes à segete & vellere facilè proveniunt, sic effert quidam recentior: Ceres & Jason non rarò Plutum parturiunt, similiter illud: Scholæ Polonæ tuo adventu

ventu gaudent: sic exponitur, eruditè: Et Minervæ noctuam lux tanta recreat: & minores Aquilæ solaribus assvetæ radijs, gentilitiæ Tuæ luci svaviter inhærent.

Nescio an non pulcherrimum illud sit Martialis dictum ex eodem fonte, cùm locò sententiæ: Cùm mors certa ingruit, locus salubrior perinde ac pestilens fatalis est; dicit ille:

- - - - - - - *cùm Mors*
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

(Tibur amænum ac salubre, Sardinia pestilens & graviore Cælo.)

Hucspectat modus ille alia nomina alijs substituendi: ùt:

Cervos ipsos Tui adventûs famâ Leones effecisti.

Quintus Modus.

Obvios sensus attollendi per lusum in verbis ingeniosum nec levem.

DE hujus exempla non obvia, etsi per illa sensus obvij exprimantur.

I De *Antiocho: Non homines tantùm, sed Elephantos conscripsit, bellum non ratus, nisi belluæ decertarent.*

2. *De Infracto in adversis: Digna res calamo, calamitati non cessisse.*

3. *De arbore Paradisi humano generi fatali: Tantum malum attulit malus illa! beatæ sylvæ fructum dum carpimus, sylvam amittimus.*

4. *De Martyris manu præcisa: Cadit sub securi*

curi secura dextera, & palma illa præcisa palmam rapuit.

5. De Flavio Vespasiano: *Ad spectacula theatrum dedit: sed spectaculum seipso nobilius dare non potuit, dignus & ipse spectari.*

6. De Aulo Vitellio: *se à Fauno originem trahere putavit, sed ille semiferus fuit, hic omnino ferus: Perpetuò Consul, perpetuò inconsultus: fami non famæ consuluit, dum Dijs sacra, gulæ Vitellius consecraret. Sed tandem morti in victimam cessit hic vitulus.*

7. De Apostolis in cœna Domini: *secundis diutiùs vacant mensis, quàm primæ, secundas epulas primi ad posteros transmissuri, quæ non citiùs finem accipient, quàm mundus.*

8. De Absalone: *Lancea illius cordi intentata est, sed invenit excordem, hoc est sinè amore Filium.*

9. De Elia pluvias dante vel negante pro arbitrio: *Iussisti? factum subitò cœlum æreum: aliud imperas? repentè fit cereum.*

10. De Noë diluvio: *Quale spectaculum, si superfuissent spectatores! Et de floribus: Aluntur flores dum alluuntur, venustatem præhabent vetustati.*

11. De Sancto ignibus exusto: *suaviùs etiam virtus fragrat, dum flagrat.*

12. De Gallis jam Christianis classicum olim contra Romam canentibus quidam Polonus: *Cave tibi Roma, cave: nunquam Gallus cecinit, quin Petrus fleret.*

13. De

31. *De Iuda Proditore Iuglaris: Dæmones fugare potuit, fugere neutiquam. Ex eodem fonte Lipsius: Nihil regna citiùs secat, quàm multiplex secta. Item de Ludovici XIII. obitu: Nullum libentiùs solvit debitum, quàm supremum. Item: Docent plerumq; quæ nocent.*

Et ille lusus Alexandri memorandus, qui dum Filium, sui Parentis sepulchrum excolere aratro cerneret, dixit: Hoc est Parentem colere!

Sextus Modus.

Sensum facilè commutandi in non obvium.

PEr insignem Allegoriam vel eruditam, quæ fit in proprijs dictionibus: vel aliam, quæ in appellativis. Profero Exempla utriusque. In proprijs hæc:

De stipendijs aut præmijs veluti calcar addentibus est illud: Non obstat in Colchidem naviganti mare infestum Jasoni, quem vellus aureum ad se allicit &c.

Item illud de Parco in milites Principe: Unum Roma Cunctatorem norat Fabium; plures id sæculum effudit cunctatores, qui dum externum oppugnant Annibalem, adhuc iniquã meritis parsimoniam domi nequeunt expugnare.

Huc spectat jocus ille in sudantem in pellito amictu: Atlantem Te non injuriã quis jurasset, etsi sub molliori cælo, sub leviori Zodiaco (quem solius arietis signum collustrat) desudas.

 In

In Appellativis plurima exempla occurrent. Sic illud Bahusij loco ejus : Malo esse lentus quàm præcox : Tarda quercus esse malo, quàm repens cucurbita.

Item illud Gvinisij nondum in quodam argumento convictum alloquentis : Si nondum vides, expecta fulgur ab authoritate, quod animum in nocte ista cæcutientem illustret pariter ac perstringat. Etiam ab hac oris tranquillitate time ; disces sereno etiam Cælo fulgurare.

Sic illa sententia : stipendia militis virtutem animant, effertur: Pluvia profectò laurearum fertilis trophæorum fæcunda, sunt effusa in militem congiaria, non unum Orbi redditura Trajanum, si liberaliter illa Princeps impertiatur de suo. Hos depluat sæpè patrium cælum imbres, revirescet credo, nec ante florem emarcescet virtus militis &c.

Septimus Modus,

Sensus obvij in inexpectatum commutandi.

EST per alium aliquem Tropum, vel Figuram, aut locum insigniorem. Ex tropis, quos jam usurpavimus hactenus, præter Metaphoram, Allegoriam, Antonomasiam, servit huc Periphrasis acutior ; Qualis est illa de primo literarum & characteris formandi inventore apud Thesaurum : Nulli adhuc legebantur characteres, nisi servis inusti ; tandem ille veloci dex-

dexterâ fugientia verba moratus, calamo in tabella defixit: certavit cum loquentis lingua scribentis manus, novóque miraculo audijt oculus, quod digiti præpetes loquebantur. Quale portentum in fertili pagellarum æquore, Musarum agello, nigerrimum notarum semen committi, quod aratum calamo, sepiâ rigatum, legendam doctrinarum Messem festinat!

Et illa: Cùm alij Serenitate incessus auram accenderent, intra serici auro fluentis vincula vibrarent gressus, argenteis elatis substrata marmora in plausum excitarent &c.

Huc spectat illa Periphrasis de Diva Scholastica, quæ ut diutiùs alloquio D. Benedicti frueretur, pluviam cælitus impetravit. Sic hoc exprimit nonnemo: Ut longiùs Divina misceret colloquia, cæli usa patrocinio, pluviam lacrymarum effudit, quâ serenitatem aëris extinxit: ad pluviam tacitæ preces evocarunt fulmina, clariùs inter fulgura pietas effulsit. quid tam mirum, quàm quòd Soror cælum armaverit in Fratrem cæli amicum?

Sic locò illius: Facilis est materia laudare D. Thomam Aquinatem; acutè effertur per Periphrasim ex appicto sole in Divi pectore, sic: Nisi videam hodiernæ debitum laudationi argumentum, solem non videam! quem etsi terra cælis addidit, adhuc tamen lucet in pectore.

A Figuris etiam attollitur humilis alioquin Oratio; ùt est Apostrophe, Antitheta, Comparatia, Expostulatio, Annominatio, Congeries &c.

v.g. loco illius : Deplorari debet heros iste ; quàm admirabiliùs dicitur per Figuram : stamus ad invicti Herois tumulum, & adhuc lacrymas tenes, dolor? triumphales plausus meruit; Tu nec planctibus Augustos Manes dignabere? &c.

Item loco illius: Dolendum est, quòd tantus victor obierit; diceres admirabiliùs per Figuras: Ergóne post facta Imortalia moreris Dux invicte! etiámne illustres animæ extinguuntur? etiam Patriæ soles occidunt? Legis Parentales taxos, qui laureis insvevisti? Mori ergo poterat mori nescia Fortitudo?

Item loco illius: Fudisti hostes in Campis, vel ad fluvium; admirabiliùs Tropô & Figurâ dicitur: Meminêre Varcenses Campi, ubi totidem Tibi laurearum manipuli succrevêre, quot hostiles manipulos messuisti &c. Fluxistis & vos tot magnarum spolijs animarum prætumidi Poloniæ amnes, sæpè non tam vestris intumescentes fluctibus, quàm hostili sangvine.

Sic & loco illius: pavent scelesti: pulchre per tropum cecinit Poëta: semper pavidum est scelus.

Octavus Modus.

Sensus obvios attolendi per Expolitionem aliquarum circumstantiarum & Adjunctorum loci, Personæ, rei, stemmatis. &c.

SIc Romano Pontifici loco hujus: Colit Te Roma; diceres; Novit Te Tyberis & in Tui præ-

præconia pleno decurrit alveo: novêre septem illi colles, & sua Tibi submittunt fastigia: suos Tibi fasces inclinat Romulus. &c. Sic in DedicationeThesium Logicarum Illustrissimo acReverendissimo D. Andreæ Trzebicki, cujus insigne Olor, loco illius simplicis sensus; Etiam Theses Logicas non ingratè recipies; admirabiliùs ex hoc fonte deducitur idem sic; Etiam Aristotelis organum, Tuas aures ambijt, Antistes illustrissime: Amicum noverat concentibus olorem, quos svavior sapientiæ condit ac temperat Harmonia. Si tamen hac svavitate careat, eodem trahet gratiam ab Olore &c. &c.


Similiter de quodam qui in Belgio & Gallia studuit, dicitur ornatiùs; Ætatem necdum firmam Leoni Belgico firmandum, vernantes annos Regno liliorum concessit.

Sed exempla ad hunc modum spectantia passim hìc occurrent, ego ut cum Claudiano dicam,

Singula complecti cuperem, sed densior instat
Doctrinæ series, rerúmque sequentibus undis
Obruimur:

Imò si velim omnia huc spectantia exempla depromere, meritò dicam cum Nasone:

Desinet antè dies, & in alto Phœbus anhelos
Gurgite condet equos, quàm consequar omnia dictis.



CAPUT II.

Secundum non vulgaris Eloquentiæ Fundamentum Mira Eruditio, ejusq; usus insignior.

QUantum gemma in annulo, in auro nobiles cælaturæ, purpura in prætexta, in cælo sidera; tantum Eruditio suo loco adhibita obtinet dignitatis. Abmirabilem proinde reddet Oratorem & multiplex Eruditio, & Eruditionis usus non vulgaris. Multiplex Eruditio tum lectione librorum comparatur, tum Eruditorum auscultatione. Ad Eruditionem autem refero Histotiam Romanam & Græcam, quam breviter comprehendit Florus & Justinus: ritus & consvetudines veterum, de quibus multa in Atticis Bellarijs Pontanus; Poëtarum Fabulas, quas in Electis Pontani vide; symbola, Emblemata, Hieroglyphica varia, dicta gravia & sententias, adagia. &c.

SECTIO UNICA.

De usu Eruditionis non vulgari.

HIc de usu Eruditionum, infrà de usu sententiarum agetur.

§. I.

Modi rariores Eruditè scribendi.

VUlgaris Eloquentia contenta est Historiam proferre vel innuere citra ambitum Oratorium; Admirabilis modos hic usurpat non vulgares. quare

Doceo I.

ERuditiones posse non vulgariter poni per brevissimam Comparationem rei, de qua est sermo, cùm alia re ex Historijs petita, citra tamen usum vulgarium particularum: Quemadmodum, sicut, ità, &c. &c.

Sic de Principe Visnioviecio noster Orator: Staturâ non excesserat Alexandrum, virtute æquârat. Sic de forti Duce: Te in hostem irruente patuit, non solam Spartam viros gignere.

Sic de profligato hoste eruditè alius: Strages illa alteras hosti Cannas, alterum dedit Thrasymenum (locus est cæsæ à Carthagine Romæ)

Sic de Duce invicto ad bellum loco Regis proficiscente alter dixit: Non enim Regum sangvinem opposuit hosti Patria, cùm alios invictos haberet Duces: sunt nempè pro Theodosijs Stilicones.

Sic: Non in loco, sed more Corybantum ubique insipienterque desipiunt: barbam velut intactum securibus lucum Apollini pascunt & dicant.

Observa hic loco illius: Quemadmodum, ità, vel: non aliter, posse te uti variâ circuitione seu ambitu dicendi.

I. Sic ſi deberes illud exprimere : ſicut ad Alexandri adventum ſudavit Orphei ſimulacrum, ità & nos cogimur ad Tuum : ſic potiùs id exprimeres : Non ſolius Alexandri adventus Orphei ſimulacro, ſed Tuus etiam Oratorum ingenijs ſudorem elicit, quibus lene admoves tormentum &c. Vel aliter : Adventus Alexandri ſudorem elicuit Orphei ſimulacro, ceu in tanti Principis encomio vel elingvis ſtatua deſudaret : admirabile id, niſi par miraculum hodie Oratorum ingenia ſortiantur.

II. Sic, ùt ille Orator Vladislai contra Amurathem ſinè prælio victoris : Amiſerat nomen mundus ſuo undiq; pollutus ſangvine: ſibi mundum reddere neſcio an duobus (niſi tu alter ſis) Imperatoribus contigerit : diu vel in Auguſto ſangvine requiſivimus Auguſtum.

III. Comparatio hujuſmodi ſic inſtituatur, ut Panegyriſtes noſter comparet cum Julio Visnioviecium : Habet ſuæ fortitudinis æmulum Cæſar, qui non priùs hoſtem viderit, quàm vicerit. &c. Habet ſuos etiam Polonia Cunctatores, ſi morâ opprimendus ſit externus Annibal : vel Julios, ubi in celeritate plurimũ eſt momenti.

IV. Fiet per ly Alter tu ; vel : Alterum nobis refers Annibalem &c. Sic de Leone Sapieha dictum : Alter tu ſcilicet videbare Pericles, qui & in utero Matri & in bello Athenis Leo es creditus. Sic. Exhorruit ceu viſa Gorgone ad revelatam Perſij Parmam. Vel : Conclamatur perinde, ac ſi ad portas eſſet Annibal.

De-

Doceo II.

ERuditiones poſſe non vulgariter poni per aliquam prælationem vel poſtpoſitionem: ſeu ità, ut res, de qua eſt ſermo, alteri rei ex hiſtoria deſumptæ, obiter præferatur. Tale eſt illud de liberali Principe: Pluribus à Te quàm Nili oſtijs exeunt congiaria.

Tale & illud: Fortiùs tua poſteros urgebunt, quàm olim Themiſtoclem Milthiadis trophæa.

Tale & illud: Dictum hoc graviùs Te, quàm Telephum Achillis haſta perſtrinxit.

Tale & illud de Gentilitio quorundam Flumine: Tutiùs huic flumini commiſſa fuit toties Polona felicitas, quàm Oceani quondam fluctibus Fortuna Cæſaris crederetur.

Eadem Prælatio fiet aliter ſic: Eſſet, ad quod Saxum poſuiſſet triumphans de orbe Roma, illud in Te cum togatis miratura Quiritibus, quod & ſemper vincere, &, contrà quàm Annibal, victoriâ uti ſcias.

Aliter ſic: Ibi tu laureas collegiſti, ubi cum Tullo Hoſtilio plerique iteratò Pavori & Pallori templa voviſſent.

Aliter ſic: Eidem telo, quo grandior ætatis noſtræ cadis Hercules, ſuccumbere te non ducimus indecorum.

Aliter ſic, ùt ille de arcibus oppugnatis nec tamen expugnatis: In fortiorem Trojam illas hoſti converſas crediderim, nè decennio quidem expugnabilem.

Item ſic, ùt de cujuſdam Aula: Caſtigatos Aulæ Tuæ mores qui viderit, plus quàm Numæ dixerit Regiam.

Item ſic: Præripit palmam Areopago Tua æquitas: ubi verò liberalitate certandum eſt, omnem Tito gloriam ademiſti. &c.

Item ſic, ùt de cujuſdam Conſiliarijs: Præſto erant, à quibus reſponſa peteres, qualia nec Delphicus Apollo, nec Conſus ipſe depromere potuiſſet

Sic & illud de Zamoyſciorum Haſtis: Ivere per varias manus Scævolarum, dicerem, quia notæ fortitudinis; ſed cùm inſuper ob cognatam huic ſangvini ſapientiam, errare in hoſte neſcierint, haud occurrit par Nomen; Fabijs certè &c.

Doceo III.

ERuditiones non vulgariter poſſe inſeri per modum Cauſæ utendo (præter ſolitas particulas, Nè Ut) etiam his: Documento, vel: ut Orbis noſſet: nè dubitaret orbis; vel credo nè; vel ſcilicet nè; vel, ut jam pateat.

Sic de quodam Milite forti dictum eſt: Ictum lapidis objectu pectoris excepit fortiter: documento; Polonis æquè ac Spartanis pectus pro muro eſſe.

Sic de Galba Imperatore dicitur: Imperium tribus Libertis regendum dedit; nè pauciores Romam, quàm Avernum Furiæ affligerent.

Sic de magnanimo Rege: ultra Regni imò & Orbis

Orbis terminos gloriam & Tua promoves trophæa; nempè non solum Macedonia non capit Alexandrum.

Sic de Vladislao IV. Quod Pompejus jactabat, eventus resque Tibi servabatur; nè dubitaremus, quoscunque Magnos aut Maximos edidit antiquitas, Te minores fuisse.

Aliquando & Eruditioni Causa subnectitur, ùt: Romanis solenne fuit, ut quotannis coronaturi ora Fontium, Fontinalia celebrarent; credo, indignum arbitrati, negari serta Fontibus, à quibus vitam quodammodo hauriebant. Hoc illud est; Qui aquam hauris, puteum corona.

Doceo IV.

ERuditiones posse non vulgariter poni per Antonomasiam, ponendo nomen proprium pro Appellativo. Hic verò modus à primo per hoc differt, quòd ibi aliqua fiat Comparatio, hic verò quædam sit nominis appropriatio. Sic in laudem studiosorum strenuè se exercentium dixit noster Orator: omnes hìc Theopompos invenias, Ephorum neminem, ad quorum unum calcaribus, ad alterum freno se Isocrates egere dictabat.

Tale & illud de Ludovico Rege: Thersitem quemcunque tui exempli violentiâ Achillem effecisses.

Tale & illud tritum: sint Mecænates, non deerunt Flacce Marones.

Sic de duce semper invicto: si Tito non horruit, contemnet Hydram grandior Hercules.

Sic eruditè ponitur Phalaris pro crudeli, Stentor pro clamoso, Aristides pro justo, Protheus pro mutabili, Momus vel Theon pro Mordaci, Pœnus vel Punicum ingenium pro subdolo, Verres pro fure &c.

Sic etiam illud: Atheniensium noctuam anseri Capitolino antetulit. Sic & illud Martialis:

Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,
Et cùm tot Crasos viceris, esse Numam.

Doceo V.

ERuditiones etiam conglobatæ, seu plures simul in unum coacervatæ non modicam admirabilitatem & non vulgarem ornatum Eloquentiæ concinnant. Rem exemplis illustro.

Primum sit de tolerantia injuriarum: Rarus est, qui injurias vel ùt Titus aspernetur, vel rideat ùt Tiberius, vel ùt Theodosius condonet, vel ùt Augustus etiam remuneretur. Sic diviti peroranti de temperantia dictum: Quin taces tu, qui dives ùt Crassus, vivis ùt Lucullus, loqueris ùt Cato?

Secundum: De exercitio corporali studiosorum, sub sextiles ferias: Non sic illi stato solennique Sextilium æstivorum otio, ùt quondam Anibal Campaniæ hybernis, emolliti, ut nec vel tantùm cum Caligula conchas legere, natare cum Macedone, piscari cum Nerone, obire lucos

cum

cum Augusto, sylvas degere cum Academo, colles obequitare cum Carolo, metere colla papaverum cum Tarquinio, venari cum Domitiano, prandere inter arbores cum Trajano, cum tergeminis Romanorum Horatijs certamen ponere, &c.

Tertium: De insignibus variorum: Non idem insigne quemvis indicat, non idem nobilitat: Athenienses noctua, Persas Aquila aurea, Canis Osiridem, Justitia Polyxenem, Thebanos Sphinx, Assyrios columba, Dona Fortunæ Demosthenem, Carolum V. Columna, &c.

Quartum: De titulis quorundã: In quæ non involavit nomina mortalium ambitio? Attila se dixit Iram Dei, Tamerlanes Flagellum, Fulmen Pericles, Lucullus Xerxem Togatum, Havius Bellatorum Antigonas, Nerva Bonum; Trajanus Optimum, &c.

Quintum Clemente Alexandrino qui sic ait: Si quis Isomacho studuerit, agricola fiet: Si Lampridi, Nauclerus: si Charidemo Imperator: si Crobilo, coquus: si Perdici, Caupo: si Archelao, Saltator: si Chrysippo, Dialecticus: si Aristoteli, Physicus: si Homero, Poëta: si Tullio, Orator: si CHRISTO, ad imaginem Magistri perficietur in carne circumiens DEUS. Hæc ille.

Imò una sententia potest sic conglobatis Eruditionibus mirificè exornari. Sic exornatur illa sententia,

Non

Non omnis fert omnia tellus.

CEdris assurgit Libanus, nulla Cretam fera infestat, non timetur fulmen in Æthiopia, terræ motus Galliam non concutit, Lupos non novit Anglia, lepores Ithaca, Asinos nescit Pontus, Crocodilum profert Ægyptus, Phœnicem Assyria; Tyrus purpurâ superbit, Corynthus ære optimo, Memphis Pyramidibus: Hymettus & Attica mel in copia producit, odores Arabia, Smaragdos Erythra, Leones Da & Arcadia, Hyrcania tigrides, India Elephantos. Verùm & fluminū gloria discrimen admittit; Pactolus auro fluit, Hydaspes gemmeis fluctibus intumescit, mare gemmarum est Patria, Fons Castrius olores educat. Colchis Phasidem, Hydram Lerna, Nilus crocodilum parturit, Strumon grues. Quid montes? Ætna & Vesuvius flammas evomit, Erymanthus cupresso squalet, lauru Parnassus evirescit: Imolus & Taurario montes vitibus, Anticyræ helleboro, equis Thessalia, venenis Pontus abundat. Nec in hominum ingenijs idem vitium odoris aut virtutum amor: Asiatici molles, Persæ otiosi, Syri cupidi, Alexandrini derisores, Campani arrogantes, Cappadoces, Cretenses, Cilices mendacijs, Græci dolis assveti, Pœni astu & fraudibus valent quàm plurimùm, Thraces oratoribus, Parthi jaculis, Athenæ lingvâ, Roma plus manu valuit.

Stob. *Nec omne Cœlum prospicit undiq;*
Terras, nec omnis parturit omnia

Tellus

Tellus & in magnis relucet
Discolor ingenijs venustas
. . . India nigrum
Virg. *Fert hebonum, solis est thurea virga Saburris.*
Hic segetes, illic veniunt feliciùs uvæ,
Arborei fætus alibi.

Doceo VI.

ERuditiones ità posse poni, ut in sententiæ alicujus sensum trahantur. quod omnino perelegans.

Sic loco illius sententiæ; sæpe victor hostium momento vincitur, sic eruditè dictum; sæpiùs diuturnis quæsitam bellis lauream, vel Annibali Capua infregit.

Sic & loco sententiæ illius: Matura est quævis ætas triumphis: eruditè dicitur: Nec sola Alexandri trophæa senium, nec sola Cyri indoles ætatem requisijt.

Tale & illud est: Rarus Annibal suâ caruit Campaniâ.

Tale & illud: sæpe aureus Macedonis penetrat asellus, ubi bellico ariete nil profectũ. Tale & illud: Præstat esse Osyridem, quàm Typhonem (ille sobrius, hic obesus & stupidus.)

Ex eodem fonte illud Terentij: Absq; Cerere & Baccho friget Venus.

Doceo VII.

ERuditiones posse poni per Oppositionẽ, dum sci-

ſcilicet oppoſita ſibi exempla, ùt antitheta ponuntur.

Sic eſt illud: Plures ſæpè videas Ægiſtos quàm Hippolytos: Phædras quàm Penelopes. Et illud: Probra literatorum pleróſque non literatos dixeris? Mænadum choro non Muſarum, Libero non Tullio vel Apollini aptiores. Et illud: Paucos noſtra ætas profert Curios, plures vel in tenuiori Fortuna Craſſos, aut qui uno hauſtu patrimonia abliguriant Antonios.

Et illud: Non bene convenit Eurytheo cum Alcide: Odit ſecutorem Retiarius, Mirmillo Tracem (ſunt paria gladiatorum oppoſita.)

Doceo VIII.

ERuditiones poſſe poni quaſi contemptim, & per Oratoriam Rejectionem. Sic illud eſt noſtri Oratoris: Apage ſangvinarium Catilinæ convivium, ubi non plus hauſtum vini quàm ſangvinis. Non hìc more barbaro Lapitharum ceditur, non hìc Sybaritico luxu infames cænæ terminantur faſtidio. Certè Cambyſes ut lubet majoribus ſuper menſa poculis, &c. &c.

Sic & illud: Jactent nobiles Thebæ primam alumni ſui Herculis induſtriam, infantili manu ferociam ſerpentum præfocantis: loquatur Seleucum Anchora, miro naturæ artificio illi inſculpta? At nec invidemus Zoroaſtro riſum, quem natus, uſitatis humano generi lacrymis ſubſtituit; plus Tibi naturæ conceſſum privilegio, &c.

Ali-

Aliter illud de horti amænitate: Quid huic Hesperidũ hortos opponas, ceu veris in hoc Tibure Elisijs fabulæ conferri possint?

Aliter illud: Tace jam Roma Scævolam; certior nec obnoxius errori militis nostri ictus, quo sternit hostem, trophæum erigit.

Aliter & illud: Liberas eo metu Poloniam, quo Plinius aliquando extimuit, nè Romani nobiles nihil pulchrum in Palatijs præter avorum imagines haberent.

reddes, ait, improbe reddes;
non si te ferreus agger
Ambiat, aut triplices alio tibi carmine muros
Amphion auditus agat, (nam hoc contemptim innuit)

Idem fiet sic: Et quisquam mihi prædicet, in ore Stesichori cecinisse lusciniam, cùm etiã, &c.

Item sic: Cogor hic vetus castigare proverbium; quòd non sit quædam flere voluptas.

Item: viderint Syracusæ, an suo non minus jam tribuant Archimedi, cùm Cosrois cernunt molem, &c.

Addo insuper Eruditiones posse necti per Particulas, nè quidem, nec ipse &c. Ut: Hunc lusum nè ipsa quidem Svada vel Consus persvaserit: Tale & illud in Utopia Bidermani: Labem animo inspersisti, quam nè Lua quidem Mater eluat.

Tale & illud: Vix Ulysses hujusmodi Syrenum insidias elusisset. Huc potest referri obiter perstricta eruditio, ùt: Moram in vincendo non

admittimus in tanta præsertim penuria Fabiorum: imò nec in copia eorundem.

Doceo IX.

QUando pluribus exemplis una eademq; Propositio confirmatur, duplex conatus adhibendus. alter in Elocutione, alter in Exemplis novâ & novâ transitione nectendis. Sic in illa sententia elaboratum vides: Quisque suo laborat vitio. Sic enim ab exemplis dilatatur.

Veritatis oraculum, non Plinij effatum credite, ubi censuit, adhuc neminem extitisse, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. Asiæ Orientísque terrorem recolite Alexandrum: Discrepant adhuc fasti, num ille plus vini quàm sangvinis fuderit, ut qui æquè trophæis inclytus ac temulentiâ infamis, cæde insuper amicorum laureas inumbrarit. En ut nè tanta quidem virtus extra vitij probrum! Etiam tu Trajane non absque nævo: Plinius te è mortalium cætu eximit, inter feras inscribit cruda in insontes immanitas. Sic Macedonia nobis Alexandrum, Occidens Trajanum objicit, in quibus virtutis per vitia infuscatæ labem notare liceat. At extra soliũ & Purpuram probra hujusmodi, & virtutis cum vitio affinitatem vestigemus. Quinctum Tullij fratrem nobis Roma offeret, in cujus laudibus unam omnes excepêre iracundiam. Etiam Tullius fratre quidem major, sed hic non melior. amo illius eloquentiam, fastum odi, qui non unam meruit in orbe Phi-

lippi-

lippicam. Quem autē Tullio adjungam? nempe Consuli Romam, .gentium regnatricem, sed luxûs mancipium. Ego Te, Roma, in armis veneror, orbis exhorruit; at luxus Tibi gloriam exhausit ac ærarium, domestica potentum ambitio laureas ac purpuram temeravit. Nec æmulam Romæ Carthaginem hinc excludam. Unicus Annibal hìc esto argumentum. Saguntum ille suis cineribus vidit insepultam, ejus gloriam Campania. Adeò nulla dos animi beatior extra viciniam vitiorum.

Sed hujusmodi argumenta & variam ac miram Exemplorum coacervationem abundè tibi dabunt Lipsii Monita & exempla Politica.

Doceo X.

ERuditionem afferri posse vel per Protasim cum Apodosi; Historiam solam seorsim Historicè aut Oratoriè referendo.

Eruditio per Protasim & Apodosim tractari potest multipliciter.

I. HISTORIAM per Comparationem vel Relectionem fusiùs referendo; deinde Materiam propositam ad Historiæ prædictæ Puncta accommodando v. g. Alterum Te hæc ætas suspicit Alexandrum, nè Macedonia suo deinceps insolentissimè intumescat, cùm & Poloniam non impar exornet Principum Heroumq; fœcunditas. Macedonē illum quanta gloriæ sitis, quanta provehendi nominis ac victoriarum incessit cupiditas! Is non novit, qui nec Alexandri nomen

noverit. Parum illi fuerat Macedoniam à Philippo, & Græciam recepisse, parum totam Persidem imò totum domuisse Orientem, etiam quos Democritus somniabat, infinitos illi Mundos subigere promptum fuit. Tanta est vel generosæ indolis vel arrogantiæ vis, si quando alicujus animum pulsavit. Sed taceat Alexandrum Curtius, taceat Macedonia; Major tu mihi etiam Alexandro, qui non tantùm tot hostiles cuneos profligaveris (quod & Alexander fecisse memoratur) sed insuper teipsum noris vincere, quod nescijt Alexander.

II. HISTORIA obiter tantùm attingi potest, applicatione additâ longiori. v.g. Major Tu mihi & longè admirabilior, quàm decantata illa septem Orbis miracula. Nam sive cæcas mortalium mentes in bonæ frugis tramitem reducere sit necesse; Pharus es regendis erronum cursibus accensa: sive Patria munimento egeat; firmius illi præ muris Babylonicis exhibes: sive magnitudine facinorum erigenda Patriæ sit gloria; sua Colossum hic Rhodium deficit magnitudo &c.

III. Potest priùs poni applicatio Historiæ posteriùs ponendæ v.g. Pridē Tuæ propaginis arbor Patriæ succrescit in palmas, flectitur in arcus, assurgit in trophæa: nec nisi in Poloniæ decus crescit, dum summis fascibus pares illi Heroas profert, id quod olim de sylva Dodonæa creditur, ex qua nonnisi Principum ac Deorum insignia, Ducū Clavæ, victorū trophæa condebantur.

IV. Ex-

IV. Exaggeratur imprimis veritas vel falsitas Historiæ aut aliquid ex illa erutum, aut ad eandem pertinens: tum ipsa profertur Historia, cum extenuatione vel exaggeratione, prout res exigit; ad extremum fit Apodosis.

Potest ergo fieri accessus ad Historiam vel Apologum desumptus à documento vel sententia in illis contenta. Ostendo id in fabula de Ciconia cum gruibus segetem depascentibus inventa, proinde veluti rea, ab agricola cum gruibus captivata. Sic enim fieret accessus ad fabulam:

Rara intercedit cum scelere affinitas, quæ non pariter in nervum abeat. Nempè ipsa etiam innocentia crimen est, quando nocentibus stipulatur; hinc & pœna non raro exposcitur ab insonte, quoties illi si non improbitas, saltèm improborum consortia placuêre. Provoco ad interpretem veritatis Apologum, quam velut putamine nucleum tegit. Age quisquis improbis adhæsisti; periculi te admoneant vel avium infortunia, ac potissimum præsens, quod affero, Ciconiæ à contubernio infelicis periculum. Alebant famelicam volucrem ab agricola nuper commissa terræ semina, &c.

Idem patet in apologo de Pavone & grue, quem sententiæ præ ipso limine appositæ planiùs, & ornatiùs exponunt:

Si cui vesano turgent præcordia fastu;
Quóve tumet, reliquis ridet abesse jubar,

Hinc ſapiat, Charitúmq; mera ſub imagine nævos,
Et radijs umbras credat ineſſe ſuis.
Sors tenues auguſta animas non horret, amicas
Quin etiam vibret cæca per antra faces.
Quemque ſuus comendat honos : nec temnere tutum,
Si quem ſors tenui figere viſa loco.
Sanciet interpres taciti rem fabula veri,
Junonis referens & Palamedis avem.
Dum lautis adhibet volucris Saturnia menſis,
Aerios Proceres Threjiciamq; gruem.
Et bene conditæ miſcentur pocula menſæ,
Dumq́ue Acheloe, tuis incaluere cadis.
Strymoniam tumidus volucrem ſic Pavo laceſſit,
(Viſa cui Aſſyrium cauda rotare decus,
Et faſtum nutriunt oculatæ ſidera pennæ,
Quem leve criſtati verticis auget onus)
Quin mea ſceptra colas pennatæ pubis habenas
Cui dat in aërios edita forma thronos?
Haud tibi par ſpecies : pennam haud nativa colorat
Iris, nec ſimili ſyrmate verrit humum.
Quæ tibi conſpicuo radiant in vertice criſtæ,
Surgit inauratus queis mihi frontis apex ?
Cauda mihi vigili magis eſt oculatior Argo,
Quæ præ millenis ſolibus una micat.
Talia flammato ſecum grus corde volutans :
Et mihi ſors, inquit, non inimica viget.
Non Thaumantiadis mentitur penna colorem,
Nec mihi multiplici ſidere cauda micat :
Sum

Sum tamen in pennis alium sortita decorem.
Qui magè diffuso me sinit orbe frui.
Tu teris agrestes umbraticus incola pagos,
Nec super æthercam te vehit ala plagam.
Audijt hæc, posuitq; ales Junonia fastum &c.

Similiter in Symbolo tractando accessus quæsitus est in illa salutatione quæ incipit: Te ipso humanitatis descensu has ædium angustias subeunte, rara Tua humanitas magnum illum in Romana Purpura mihi revocat Barberinum, qui dum Musis vectigalia Tulliòque limina hospes inviseret, pro Lycei foribus fortè hortulum Apellis miraculo vel hyeme herbescentem adverrit, solas quæ illum depascerent Apes expectantem, quod ipsa indicabat inscriptio: Expectat Apes, &c.

Similiter in alia salutatione non priùs de Massinissa Rege Numidiæ protasis affertur, quòd Dijs grates habuerit pro Scipione apud se hospite; sed accessu prævio: semper magnitudini hospitum par respondet gaudij magnitudo; adeóque hæc illius mensura est. Ad Numidiæ Regem provoco.

Doceo XI.

ERuditiones posse non invenustè trahi in acumen pulcherrimum. Patet id in eo, qui lusit in Neronem ardente Româ Cythara canentem:

Vincere Thebani tentat miracula Fabri:
Condidit ille urbem, destruit iste lyrâ.

Et illud ex eruditione acumen: Tres tantùm

Furias quisquis numeravit Alane, Uxoris genium nescijt ille Tuæ.

Et illud de S. Francisco Xaverio acerbissimis pomis diu vitam sustentante:

Tam mala jejunum si, Tantale, mala manerent,
Supplicium majus, si fruerere, foret.

Et illud de fano vel templo Solis succenso: Phaëtontis Pater, Dei sedem affectans, Phaëtontis supplicium tulit & ex fabula historiã fecit.

Et illud de Abassio supra; Furijs Gigas videri potuit, nullo hoc nomen magis meritus, quàm quòd cum Jove Sarmatico pugnasset.

Et illud Allegoricum eruditè: est contra vincula nodósque Gordios gladius Alexandri.

Et illud de Matre filij mortem fortiter ferente: Nioben maternus dolor, te constantia duravit in saxum.

Doceo XII.

NOn vulgaris omninò & doctis ac multæ lectionis viris dignus est ille Eruditionis usus, in Dialogismis maximè, literis & colloquio familiari; loqui tum Adagicè, tum desumpto versu ex Poëta, vel alio auctore, vel alludendo ad aliquam Eruditionem. Exemplum dabit Lipsius in Politicis, alijq;. Affero & ludicrum, sed ad rem deserviens exemplum, ubi de ludorum genere consulunt aliqui.

LUDICRUM.

I. E ludo venimus; sed libétne ludum repetere, cui pridem insvevimus?

II. Apa-

II. Apage cum ludo; num optas (quod Plautus ait) ut cottabi in tuo dorso crepent?

III. Quin ergo tantisper seria ludicris dispugnamus? juvat ex Venusini præscripto diem solidum dimidiare, miscendo consilijs stultitiam brevem, & desipere in loco. Ergo nos scrupis molísque oblectemus.

IV. Num à Plauti primoribus stirpem ducis, cui adeò Pistrinum sapiat? O factum molis trusatilibus circumagendis caput! Næ tu furfurem pro cerebro, pollinem pro Apolline geris, qui nos ad molas damnare velis!

V. Ego aleæ lusum svaserim, Hoc ludi genus etiam Deæ placet: Fortunam hic veneror, levem illam quidem, Deam tamen.

VI. Ludum svades, quem nec ipse Consus nec Svada mihi persvaserit. Vel si quovis jactu Venerem ego, aut Herculem Basilicum, si nunquam Vulturnium, vel canem, semper Venerem aut senionem jaciam, Fortunæ hic litare nolim. O dictum bene!

Ludens taxillis, bene respice, quid sit in illis;
Sors tua, quin etiam tua mors dependet ab illis:
Alea, vina, venus; tribus his sum factus egenus.

Breviùs noster Emanuel te olim méque docuit: Aleas fuge, mortem meditare.

VII. Ergo à ludo ad calculos vos provoco. Brevi ego quemcunque ductu reductuq; calculorum conficiam, eum Crispini familiæ additu-

rus, dignos Tragædis cothurnos, comicis soccos aptare poterit, &c.

Dentibus antiquas doctus producere pelles.

II. Galbæ potiùs vel potiùs Crasso juratis risui hostibus, lusum hunc svaseris, non Rhetori. Illum is deceat, quem nativum Saturni sidus afflaverit; Me verò æquior amavit Jupiter, & sereno Lucina cælo produxit. Quodsi interiore alveo calculos promovere velis, etiam ibi talorum jactus aleatorem decet non Rhetorem.

III. Ergo latronum prælia ludamus, loquor cum Nasone; clariùs Senecæ phrasi dixero, abaco & latrunculis teramus diem. Basilicum sanè ludi genus.ubi & Regis auctoritas,& Reginæ libertas, & Equitum assultus & Flaminum insidiæ, & oppositæ in fronte peditum decuriæ jucundissimam scenam dabunt.

I. Infame ludi nomen; meum mihi sufficit patrimonium. Latrunculis ludere lubeat. cui latrocinari libet. Adhæc horam tantùm ludendo insumere velim, non diem.

III. Quid ergo demum? ergo sinè ludo nobis hora efluat? imò ludi materiam ego præbeo. Urbanos nuper institores transieram, unicum ab eis mercatus librum; ei evolvendo si damus operam, erit, quod etiam ille è Trophonij antro rideat; vel Jalemum recreet id volumen. Parrhasij linteum, uvas Zeuxidis, nec Thimanti laboratas effigies sic deperearn, ut rudes hos colorum ductus,

V. DI-

V. Dicendo me prævenisti, non voto; in mea desideria ità immigras, ut nec ovum ovo, nec lac lacti, nec nummus nummo sit similior, quàm meum votum tuo.

Doceo XIII.

EXempla & Eruditiones cùm ponuntur per descriptionem rei, ùt est gesta, postulant brevitatem, claritatem & (nè admirationis desit illecebra) elegantiam styli, vel aliquid ingeniosè insertum, prout res patitur. Patet id primò in hoc exemplo Petrasanctæ: Polycratis Tyranni annulus est Fortunæ lusu celebris, quem utique spontè merserat, ut assiduo gaudio lassus sentiret mœrorem; mox verò recepit intra piscis ilia, ut agnosceret aliquando existimari posse argumentum irati Numinis, semper esse felicem,

Patet secundò in hoc: Achates opificium solius naturæ, in Regis Pyrrhi annulo Apollinem cum Cythara, Musas cum insignibus proprijs effinxit. Si cantum addidisses & sonum, fuisset verè ibi Parnassus, nec in rupe, sed in gemma.

Patet tertiò in hoc: Nonij Senatoris annulus ex luxu enormi retinet famam adhuc aliquam, sed malam. Hominem Antonius proscripsit, quem universa Respublica ægrè totum ornare satis potuisset; quandoquidem pro unius digiti ornatu viginti millium gemmam induerat. tanto pondere manum imò digitum luxus opprimit!

Et: In aliqua Italiæ parte homo calculosus veros adamantes pretioso ac divite humani corporis vitio ejecit.

Additur & ratio, ùt: Romani cor in annuli pala celarunt: credo, ut ejus symboli admonitu, corde præstarent; alij figurabant Amorem insidentem leoni, habenisque iram ejus regentem; eò quòd fortia quæque Amori cedant. Nero Marsyæ effigiem excoriati ad arborem ab Apolline habebat, & congruè: etenim lanienam similem in Principatu exercebat.

§. II.

De usu & formatione sententiarum non vulgari.

Quoad usum sententiarum

NOTA I. Pulchrè sententiam Orationi inseri, si non tam ùt sententia quàm ùt aliquid ad sensum currentis periodi pertinens usurpatur, etsi periodus per se non sit sententiosa.

Tale est illud ad Vladislaum Regem: te in aciem prodeunte confestim patuit, quantum in acie possit galeata majestas.

Sic de Matre pro filijs contra Tyrannū. Malè pretium pro filijs lacrymas offers, ubi cladem furor anhelat: malè precibus pugnas contra barbaros.

Tale & illud Curtij de Alexandro: Major fuisset, si vicisset superbiam & iram invicta mala, Alexander.

Tale

Tale & illud de nostro Rege: Fortunam fortibus in manu esse, ignorare nequeunt, ad quos tui nominis fama pervenit.

Tale & illud nostri Oratoris: spem ac metũ duos consultantium scopulos, inter consilia & subsellia Judicum haud unquam admisisti.

Tale & illud Politicum: Qui à Tacito arma consilio temperanda didiceras; cautis potiùs quàm acrioribus consilijs potentiam tutius retineri, hostem docuisti.

Denique ex eodem fonte illud: Augebat hosti Sarmatico ferociam modo perjurij conscientia, veniæque desperatio: quæ duo quantam servilibus quoque animis vim & audaciam suggerant, meminit Roma: sed qui à vincendi libidine non longè abesse solet, furor infelix agebat præcipitem, ut tuis demum vinculis constringendus videretur, qui sic insaniret.

NOTA II. Etiam illum Sententiæ usum esse non vulgarem, si cum quodam Epiphonemate acclametur veritati sententiæ, quæ periodo currenti includitur. Patet id in illo exemplo: Didicit tandem orbis infortunia raró incedere solitaria, dum post luctuosum Principis nostri obitum nova in Regnum detonuit belli procella. Patet idem in hoc: Discant jam barbaræ Orientis legiones, virtute hic rem geri decernique, non numero: Discant non confertas gregariorum turmas rem in bellis conficere; sed quandoque parvis in copijs ingentes animos, mentémq; magno exercitu majorem.

Patet idem in hoc: Nil mite aut lentum agitabat Osmannus, adeoq; totam in nos exciverat Auroram: Tanti est semel iram in consilium admisisse, & quæ in transversum agit præcipites, latè regnandi libidinem!

Patet & in illo: Ottho Sylvius & Nero sibi etiam crudeles mortem consciverê: Adeò malis si desit carnifex, sibi non desunt!

NOTA III. Sententiarum usum elegantem esse, dum in locum Causæ substituuntur, idque potissimùm per illas particulas: ut fermè: vel, documento; vel, arbitratus: vel ut constaret; vel non ignarus: vel nimirum, nempè, quippe. Affero exempla præter allata sup.

I. De Sapieha: Bellanti semper affueras majestati, armorum gloriæque comes; ùt fermè semper magnis stipatur nominibus galeata majestas.

II. De quodam genere ac meritis illustri; Non solo antiquitatis pretio, sed gestorum etiã nobilitate, laudem tuam constare voluisti, scilicet miseram arbitratus vel felicium conditionem, ubi nihil moribus, omnia majoribus, omnia sangvini tribuuntur.

III. Ipso ætatis vere Casimirus exhibuit, quod vix alius in Autumno: sterilis argumentum ingenij existimans, sola diu spem alere in herba.

Et illud: Nequid in te fatorum vis posset, illud ab armis, quo præire fortunam non sequi soles, præsidium comparâsti, æquè impium ratus,

arma

arma injuſta & juſtitiam inermem bello committere.

IV. De Vladiſlao : Nè quid in te Fatorum vis poſſet, tibi ab armis etiam præſidium comparâſti, æquè impium ratus, arma injuſta, & juſtit am inermem bello committere.

V. De liberali in egenos : Miſerorum vota occupas, precariam peroſus gratiam ; non ignarus, illud inter beneficia Principe loco reponendum, quod gratuitò quis elargitur.

VI. De cultore B. V. Sic tu inhærebas Domino, ut Ancillam quoque Domini à cultu non excluſeris & affectu. quippè non rectè vitam diligit, qui non diligit vitæ Matrem.

VII. De Joram : Ad regnum ſublatus fratres ſuſtulit : nempe Tyrannus ſangvinem ſitit, quem timet, nunquam lætus, niſi dum canit exequias. Similiter de eodem : Rogo demum caruit, non tumulo, igne fraudatus quem meruit. nimirum Tyranno maxima pœnarum eſt, poſt obitum non lucere.

NOTA IV. Poſſe aliquando ità referri ſententiam, ut aptè alia ſibi oppoſita refellatur. Tale illud eſt :. Palinodiam canet quiſquis hucuſq; ſenſerat, plurimum in celeritate ſitum eſſe momenti. Cunctatorem illi Fabium morâ invictum opponam, qui lento Pænum moderamine luſit (Manil.)

Et : Error interim Plinij, cui in magna Fortuna occultum nihil, veniam apud te quærit, in quo &c.

Tale

Tale & illud: Sentiat deinceps qui volet, iram cotem esse virtutis; at mihi, tacente etiam Claudiano,

Diis proximus ille est,
Quem ratio, non ira movet.

Tale & illud: Aliud jam pace tua Romane Orator sentire cogimur.

Et: Tace jam Macedo; jam Regnum capit duos: tace & tu Tacite, qui pacis interesse dictitas, si ad unum omnia referantur.

NOTA V. Sententiæ usum in Oratione elegantem reddi per sensus Synonimos; si similibus sententijs etsi sub diversis Allegorijs confirmetur breviter, quæ etiam Allegoriæ ab Exemplo obiter insinuato duci possunt. Exemplum hujus habes supra in Corollario Capitis primi sub tertio modo, ubi sententia illa elucidatur alijs synonimis sententijs: Nemo ignaviâ factus Immortalis. Item illa; Animi pusilli est vindictam sumere.

Huc spectat ex hoc Fonte ducta à Juglare exornatio illius sententiæ: Plerique sibi perniciem educant in clientibus & alumnis. Sic: Lactamus sæpè catulos miseræ Matres, qui nostra post ubera depascantur: Rigamus assiduo sudore Cicutam, quæ mox in culmum adulta nos perimat; Et in nostris incudibus ferrum acuimus, quo cadamus, adeóque non unum suus torquet vitulus Perillum.

NOTA VI. Sententiæ alienæ vel proferuntur suppresso auctore, ùt hactenus ostensum; vel

cita-

citato; & tunc Auctor ſententiæ non ſinè inſigni acceſſu, eoque vario pro ſententiarũ varietatę citabitur. Aliquando illo acceſſu uteris: veritatis illa, non Saluſtij vox fuit, conſilij ſanitate ſalutẽ Reipublicæ conſtare &c. Simile illud: Clementiæ illa, non Adriani vox fuit &c.

Aliquando hac: Ità te veritas amet, Romane Sapiens, quàm verè cenſuiſti primos in acie vinci oculos. Vel: Aſſentiri & tibi cogimur Romane Orbíſque Orator, cui Parſimonia magnum vectigal &c. Vel: Hinc quis vati Mantuano non ſubſcribat, quo judice &c. Vel: Effatum Julij Cæſaris audijmus, ſuos milites etiam ungventatos pugnare bene poſſe. Nimis hoc ille tumidè, & ex victoriæ genio inſolenter. Vel: Senſit idem Roma vetus, quæ à ſuo didicerat Livio, nihil non aggreſſuros homines, ſi magna conantibus magna præmia proponantur. Item: An & Satyricum audire placet, &c.

Aliquando, quod potiſſimùm in expoſitione Chriæ vel ejuſdem Teſtimonio fieri poterit, ipſemet Author Sententiæ per Proſopopœiam inducendus, elucidans ſuam ſententiam. Sic factum in ſententiæ Sarbievianæ expoſitione: Is auro bibat, cui dulce ferrum eſt: Erigite mentes, ac è tumulo ſuimet oraculi digniſſimo Interpreti auſcultate: Faceſſant, inquit, faceſſant imbelles animæ, qui cùm omnia ſangvini & fortunæ tribuant, nihil meritis, adhuc tamen auro fulgent, nitent Purpurâ &c. Non hos ego faſcibus honorarijs admoverim, &c.

Ne-

NOTA VII. Cùm plures sententiæ diversorum Authorum afferuntur eidem proposito servientes, varia transitione & ipsimet authori serviente, si poterit, ad quamlibet utendum; nunc Apostrophe; nunc Admiratione, &c. Et quælibet sententia explicanda ornatiùs.

Patet id in Testimonio ad prædictam Sarbievij sententiam confirmandam allato: Sic & Principum majestas, tuam sancit, dum factis asserit sententiam, Casimire Sarbievi! sic aureæ Regum mentes eam probant, dum reipsâ approbant; Quidni sapientum exedræ venerentur, quam adorant & solia? Quidni testentur calami, quod sceptris regalibus manus Principum adnotârunt? Tota planè vetustas præmijs militaribus plurimùm detulit, perinde acsi nova in Patriam cumularet merita, si bene meritis præmia decrevisset. Sensit idRoma vetus, quod à suo didicerat Livio, in quo velut lacteo mari honoratæ virtutis delibaverat svavitatem. Senserat ille (qui etiam sensus veritatis est) Nihil non aggressuros homines, si magna conantibus magna præmia proponantur. O verè dictum! ipsique suppar oraculo! habent nempè suam præmia, habet aurum illecebram, nihîlque tam accessu arduum est, quò virtus aureis concitata stimulis non penetret, quò auri opúmque afflata radijs non emicet. Addis præmia virtuti, non mediocre calcar subdidisti, &c. An & Satyricum Aquinatem audio? &c.

Pó-

Poteſt ſubinde Auctoris ſententiæ acclamari v. g. Id orbis audiet, nec ad luxum ſui ſeculi erubeſcet? effati venuſtatem ſuſpiciet, nec auctorem dicti venerabitur?

NOTA IIX. Sententia poteſt afferri ex aliquo Auctore per quandam Rejectionẽ, de qua vide Doctrinam octavam de Eruditionibus.

NOTA IX. Cùm oratio ſententioſa gratiæ multum habeat, nec tam Oratio, quàm quædam tunc oracula fundi videantur, ſi graves & rotundæ argumento inſint ſententiæ; ideò juvabit paſſim hæc lumina inſerere, & hypotheſi venuſtiùs exaggeratam theſim frequentiùs permiſcere. Exemplum accipe in Oratione filij Regis Cimmeliorum poſt obitum Parentis:

Parentem noſter ad ſceptra natus ternio, ſolium nuper amiſit Principem; Grandis utrinque jactura, ſed noſtra penſetur orbitas ſeu publica, ut fermè fata Principum rarò incedunt ſolitaria, vel abſque cognatæ domus ſceptríque vulnere, nec ſtatim obducitur, aut facilè morâ temporum coaleſcit tam livida cicatrix. Pleriſque Principum funus Juſta fortunæ peragit, & inter parentalia Patrum Patriæ, privatæ publicæq; ſpei præſagia tumulantur. Nec liberis tanti eſt felicitas ſolij, in quod naturæ ſuffragijs enituntur, cùm non beatiùs ſit regno, quàm parentum obtutibus frui, nec corona potior, quàm eorum vita. Mæret proinde regia, ubi hæ fatorum vices Regum atria pulſavêre: Mærent provinciæ, qui-

quibus viduata Principe poteſtas luctum & ſqualorem indicit, &c.

Quoad formationem Sententiarum.

IMprimis brevi ambitu concluſa, ſenſu prægnanti ſit ſententia, quam figura vel tropus exornet, nimirum ſynecdoche, &c.

Hinc gratia illi ſententiæ apud Statium: Primus in orbe Deos fecit Timor. Item: Nil falſum trepidis. Item: ſemper pavidum eſt ſcelus. Item: Paterna Prolem fortiùs allicit urgétque virtus. Et illi apud Senecam: Facilè provocantur mala abſentia. Item illi: Malè reſpondent coacta ingenia. Item: Langvet abſque æmulo virtus. Item: Arma bello, milites pace franguntur.

II. Allegoriâ exornantur Sententiæ non vulgariter. v. g. ubi virtutis cultura acceſſerit, nihil ſterile eſt. Item: Multorum capitum ambitio nunquam iu unum corpus coaleſcit. Et: unum Reipublicæ corpus uno animandum eſt ſpiritu. Et: Avarum munus eſt, vitæ autumnũ DEO dicare, non florem. Et: Inter Ledæos ridetur corvus olores. Et: Impia ſub dulci melle venena latent. Et: Tranquillas etiam naufragus horret aquas.

III. A ſimili etiam non incongruè ducuntur Sententiæ ſic: Quod DEUS univerſo, ſol Cælis, Phœnix avibus, idem Regnis Reges ſunto. Item: Vites & vitia, ni falcem ſentiant, latiùs ex-

excreſcunt. Et: ſic humili fluit è fonte Tybris, &c. &c.

IV. Sententia pulchrè ſecundâ Perſonâ effertur. Sic Saluſtius: Antequam inceperis, conſulto: poſtquam conſulueris, maturè facto opus eſt. Et illa: Quod ſcelere paraveris Regnum, inſtabile eſt.

V. Admittunt & Annominationem pulchriorem ſentenitæ ſic: Feſtiva non ſunt, quæ feſtina. Et: ſemper formæ formido eſt affinis. Et: Specioſum malum eſt ſpecies. Item: Docent quæ nocent. Et: Thus dum flagrat, fragrat. Item admittunt ſententiæ Figuras: Traductionem, ùt: Regnare qui vult, langvidâ regnet manu. Compar, ùt: Pletique in caſtris feroces, in acie timidi. Correctionem, ùt: Frangas potiùs, quàm corrigas, quæ in pravum induruêre.

VI. Ab aliqua oppoſitione lucem deſumunt. Sic illud Juvenalis: Rara eſt concordia formæ atque pudicitiæ. Sic & illud: Crudelitas lenis eſt, quæ vitia palpat, non curat. Et illud: Medico nunquam eſt bene, niſi cum alijs malè. Item: Bonis nocet, qui parcit malis. Item: In bello illi maximum periculum eſt, qui maximè timet: audacia pro muro habetur. Salluſt.

VII. Ab Eruditione ſumuntur inſignes ſententiæ. Talis illa: De armis coram Achille Therſitem diſſerere indecorum eſt. Item: Etiam nunc citra fabulam Mars Veneri fœderatur.

Item:

Item: Ignis non unam ubique Trojam effecit. Et: Val. Max. Fabio non dimicare, vincere fuit. Et: Nolim te Athenienſibus ſimilem, qui quæ recta ſunt approbant, facere detrectant. Et illud Juven: Mirum eſt, ſi Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum.

VIII. A ſenſu & experientia, ùt: Primi in acie oculi vincuntur: Item; Furor arma miniſtrat. Et: dabit ira vires. Et: Ingenio ſtimulos ſubdere fama ſolet. Et illud Barclaij: ſæpè temeritas & fortuna feliciùs judicat, quàm inter momenta prudentiæ incerta laboránſque ſolertia. Et Pacatus: virtuti addit forma ſuffragium.

IX. Ex ſcientijs & artibus variæ ducuntur ſententiæ. Sic: Etiam ſolem ſuæ deformant maculæ. Item. Linea recta linea breviſſima. Item: Nec inter ſidera omnia ſunt primæ magnitudinis, &c.&c. Item: Nullum caruit exemplo nefas.

X. Sententiæ acutæ unde ſuum acumen ſumant, ſequenti Capite dicetur.

XI. Sententiæ admirabiliores ſunt, quæ non vulgari, ſed docto contextu rem alioqui obviam efferunt: vel rem non obviam adhuc miro colore adornant Allegorico, vel reconditum quid ſpirante. Sic in Pentecoſte dictum: Ardentiſſimus Amor ignem fervido menſe perpluit. Amoris enim pluvia Ignis eſt. Et de Paulo B. Staniſlaum Koſtka, insequente: Fruſtra cum fuga illius certamen init furentis fratris quadrigarum

rum cursus: velocior est pedes Amor, quàm Furor auriga. Et: Fugientis impetus, qui terris non potuit, cælo debuit terminari. In cælitum ergo sedem igneus transfuga demigravit: Ignis enim fuga in sublime est. Fugientem meta & præmiũ excipit cælum. Et de Pilato. Nudam non agnoscit veritatem, & innocentiæ candorem Scelestissimi Judicis non ferunt oculi, Cruentum colorem amat crudelitas, artifice laniena induendum.

XII. Sententiæ Adagicæ huc spectant. Ut illud tritum: Nec Dares contra Eutellum. Et: Nanus in Colosso Gigas sibi videtur. Et illud dictum Alexandro à Cytharædo: Aliud est sceptrũ aliud plectrum.

XIII. Mirè exornat sententias, si ut Paradoxum efferantur. ùt illud: Nil prodest, quod non lædere possit idem. Et S. Chryst. Nemo læditur nisi à seipso. Et Gaspar Ens: Placentini Veronensibus potiores.

XIV. Gratiam sententiæ conciliat opportunus in verbo lusus. Ut: Non quantum cupis, sed quantum capis hauriendum est. de quo in qvinto.

XV. Pulchrè in sententiam trahuntur carmina Poëtarum. Ut: illud in subdolos: Timeo Danaos vel dona ferentes. Et illud: Rode caper vitem, tamen hinc, dum stabis ad aras,

In tua quod spargi cornua possit, erit.

Et Virgilij istud comminatorium:

At sperate Deos memores fandi atq; nefandi.

CA-

CAPUT III.

Tertium Cultioris Eloquentiæ Fundamentum Acumen Oratorium.

ITà jam fert ſeculum, ut nihil ferme avidiùs audiat, quàm quod argutum: tantò illi admirabilior Eloquentia, quantò acutior, & quæ plurimùm hâc ſeſe oſtentantis ingenij pollet illecebrâ, quæ acumen eſt. Nec ipſe aliud ſentio, ideo tertium id mihi Admirabilis Eloquentiæ Fundamentum, quod ut optimè collocem, ſit

SECTIO I.

§. I.

Leges Acuminum Oratoriorum.

I. Aliqua acumina Epigrammati potiùs quàm Orationi deſerviunt, eò quòd illis aliqua levitas inſit, quam ùt Epigramma, vel Epiſtola, vel Colloquium Familiare non ſemper refugit, ſic gravitas Oratoria non admittit. *Quis* enim Orationi acumen illud Mureti de Naſuto inſerat?

Si tuus ad ſolem ſtatuatur naſus, hiante
Ore, bene oſtendet dentibus; hora quota eſt.

Vel illud; Malo ego diphthongum, vocales tu Lyce, binas.

Vel illud in Surij nomen: Aëre gaza tibi turgeat, ære mihi.

Una

Una tibi pulchrum corrumpit litera nomen;
Nimirum Surius diceris: es ſpurius.

Vel; Attale ſalſus homo es, cur? quia multa bibis.

Vel illud de barbato nuper è pugna profugo:
Hircum barba probat, nuperrima te fuga Cervum,
Ergo merum nobis Ens rationis eris.

Et in rudem Doctior & Muſis, & Phœbo doctior eſſes,
Si foret ex omni ſtipite Mercurius.

Vel illud de Otthone Sylvio, ſibi ante mortem oculos eruente:

Dormire vult, ideò claudit feneſtras. alludendo ad illud, quòd ſomnus ſit frater mortis.

Et illud Mart. Nos bibimus vitro, tu myrrhâ Pontice, quare?
Prodat perſpicuus nè duo, vina liquor.

E contra. Illud Plinij quàm graviter acutum! vidimus humeſcentes tuos oculos, demiſſúmque gaudio vultum, tantúmque in ore ſangvinis, quantum in animo pudoris.

II. Acumen Orationis frigidè affectatum cave. Tale videtur illud de Angelo in caſtris Sennacherib 180000. dormientium hoſtium perimente: Per tenebras cæcutiente Angeli gladio Aſſyriorum millia 180. ſomnus conſignavit Sorori, id eſt morti. Tale & illud eſt Hegeſiæ, qui in Alexandri laudibus nati eâ nocte, quâ Dianæ Epheſinæ templum conflagraverat, di-

xit: Minimè mirandum, si Dianæ templum tam gravi incendio arserit: quippe Dea in ipso Olympiæ partu, quo Alexander editus, obstetricandi laboribus distracta, ignem non valuit restingvere. Quod acumen Plutarchus tam frigidum censuit, ut illud incendium restingvere potuisset.

III: Lex. Acumina sint argumento Orationis & Personæ accomodata: ità ut si gravior sit & seria, gravissima tunc usurpentur acumina. Gravia illa sunt Legatorum Darij ad Alexandrum apud Curtium: Vide quantum post te reliqueris, intuere quantum petas: Periculosum est prægrave Imperium: & difficile est continere, quod capere vix possis. Et nostræ manus expeditiùs rapiunt, quod continent. Nescio an Darius non ideo multa amiserit, quia nimiæ opes magnæ jacturæ locum faciunt, &c.

§. II.

Fontes Acuminum seu Argutiarum potissimùm non vulgari Eloquentiæ deservientium.

DIxi, Potissimùm; nam etiam aliud dicendi genus ad se hinc plurimum derivare potest. Moneo tamen Acuminis & argutiæ nomine intelligi dictum quacunq; Sententiâ comprehensum, quod ingenij plurimum præseferat, tum res etiam inter se dissitas maximè combinantis, tum rerum ac eventuum causas, & quaslibet cir-

circumſtantias ſubtiliùs penetrantis, & abditum aliquid indagantis, eruentis aliquid inexpectatum, ac in omnes partes oculati.

I.

Fons Acuminum Oratoriorum.

PUlcherrimæ ſunt argutiæ, quæ ex contrariorum vel quaſi contrariorum pugna & diſſimilibus aut ſecum pugnantibus eruuntur. hinc quibuſdam Acumen nihil aliud eſt niſi concors Diſcordia. Ex hoc fonte dictum illud de Caligula Cæſare: In caſtris, id eſt, Mortis veſtibulo, vitam hauſit: nondum puer, jam miles: priùs gladium vidit, quàm Solem. Sed præpoſterâ vixit ætatem, nam ùt Mavors natus, ùt Bacchus vixit, fortior infans quàm adultus.

Sed hæc oppoſita debent habere aliquam Admirabilitatem ex eo, quòd ſint præter ſpem & opinionem adhibita. ùt illud de Divo Chryſoſt. Securitatem quam daret alijs, rapuit ſibi. Vir in omnibus aureus, etſi ferreum probarit tolerantia; veram invenit Patriam, cùm in exilium properaret.

Hæc quaſi oppoſita Compar pulchrè exornat: ùt de Diva Agnete Ambroſius: Mori adhuc neſcia, ſed parata; nondum idonea pugnæ, jam matura victoriæ, certare difficilis, facilis coronari, & quæ non habuit, quo ferrum reciperet, habuit, quo ferrum vinceret.

Huc refer Antitheta Oratoria, ùt illa de Stirpe Jagellonia: Glorioſum magnis Heroi-

bus, in pulvere priùs & Sole, quàm in Solio Patriam tueri. Nimirum in Regnatrice hac domo natos isto maximè indicio agnoscit Orbis, quòd non priùs sceptrum quàm hastam in manus admittere soleant, neque coronæ priùs quàm galeæ caput submittant.

En quàm variè nostri & osculum Judæ per hunc modum efferunt: A signo pacis exorditur bellum: osculo amoris internuntio & blandimentis abusus amicorum. Item: Inter amicos osculorum anhelitus odij venena despumans, amicitiæ symbolum vertit in tesseram proditionis. Et Instrumento pacis, charitatis pignore vulnus infligit; amoris tesserâ hostili servit odio. Nimis noverat ex Amoris castris barbarus transfuga, nullis Amorem armis graviùs vulnerari quàm suis.

Ex eodem fonte illud: A vitijs exorsus, in virtute confecit ætatem, miserandus, quòd ità inceperit; mirandus, quòd ità desierit; non idcirco postea innocentiam minuens, quòd ætatem augeret. Virtutum iter quando alius inchoasset, absolvit.

Item de Duce religioso in Cælites: Hostem dejicit, dum manum erigit; hosti etiam gravis, dum amicum sibi Cælum inermi prece expugnat.

Et de S. Martino: Dei beneficia provocans suo, parte chlamydis, totum emit Empyreum. Item de impuro libro: cur est hic effrons, etsi multorum capitum liber?

Recurrunt ad hunc fontem & Poëtæ: Hinc Bahusius:

Stultitiæ laudes scripsisti primus, Erasme;
Indicat ingenium stultitia ipsa tuum.

Item illud de Poëtarum Entheo: Poëta tum maximè sapit, cùm maximè furit. Et illud in præcox ingenium Trochaico:

Curre, curre Magne Vates, me juvat lentum sequi,
Tarda quercus esse malo quàm repens cucurbita.

Et illud Claudiani: - Diligimus pariter paritérque timemus, Ipse metus te noster amat, &c.

II.

Fons Acuminum.

Est causa ingeniosa & inexpectata alicujus effectûs & dicti præcedentis, Eruitur hæc tum à loco intrinseco vel extrinseco, cum figuris quibusdam, potissimùm Annominatione, Antithesi, alijs in causam tractis & per modum causæ enuntiatis.

Patet in illo: Aulæ gravior, (quòd levis esse nollet.

Et de Domitiano: Fratrem sustulit, ut se attolleret.

Item de proculcatis Coronis: Quin etiam auri præstigias duas decepta mortalitas non videt: quod aurum in capite, atque adeò in oculis ferat, calcando despexit.

Et de Nativitate Christi: subijt suburbanum antrum paritura Virgo sanctissima comite Josepho: nondum enim urbes Virginitas & sanctitas incolebat.

Et illud de Vladislao IV. Adscivisti in hujus Societatem Victoriæ Serenissimos Fratres Alexandrum & Casimirum: sive ut Patria sacro Heroum ternione redderetur inviolabilis, sive ut hostis victorem sibi liberali optione deligeret: fuitque hoc admirabile Fatorum opus, ut tribus cederet victoribus, quoniam ter cadere non posset.

Et illud de Probo: In corrupto seculo ille integer: ut scias magna inter vitia magnæ Virtuti locum esse.

Et illud de Caino: Urbem primus condit, & meritò; ut si campis securitatem depulerat, carcerem sibi moliretur. Sed nulla impijs tuta est latebra, &c. &c.

Nec illud omittam Elogium sepulchrale fortium: Eheu: Stanislaus Zolkievius ibi vitam amisit, ut Patria inveniret, victurus nisi vincere maluisset. Ibi Carolus Chodkievvicius victorem effudit spiritum, ut patriæ inspiraret: ibi tot strenui Bellatores, daturi uberem gloriæ messem è campo sangvinis.

Ad eundem fontem spectant illa de Caligula Cæsare, qui primus aureâ coronâ usus.

Primus Apollineâ commutas fronde metallum
Cæsar, & aurifero stringis in orbe caput:
Insano capiti fragiles per tempora frondes
Non

Non sat erant: nodo te meliore ligas.

Et: Sæpè genus jactas Romanum Trossule: credo;

Nam Romæ multos legimus esse Brutos.

Et in Paulum Eremitam folijs Palmæ vestitum:

Totum te Palmis vestiri, Paule, necesse est:

Namq; Tui toto corpore victor eras.

Et: Hæc ego jure sales Epigrammata dixero: quare?

Nempè sui faciunt sæpè relecta sitim.

Eruitur secundò Causa Ingeniosa è sententia vibrante: sic illud acuitur: utrumque Judex testem seorsim de criminis loco scitatus, utrumq; discrepantem invenit, & mendacium mendacio detectum; dulciùs nihil radiat, quàm veritas, cùm nubem fregit.

Et illud: Tot inter mortes mortem reperies: miseriùs enim est misero animam trahere quàm tradere.

Et illud: In Patriæ incendio & ille rogum invenit: nam qui sceleribus inclaruit, solâ rogi luce indiget, quam meretur.

Et illud Vladislao IV. tua solius trophæa sunt, quas intranti obvias moles vides, tuo bellatoris ferro non cælo artificis elaboratæ; non eget hederis alienis, quem suæ ornant laureæ.

Et illud: Lingvam Martyri præcidi jubet: nam prima Tyranni cautio est in lingvas.

III.

Fons Acuminum Oratoriorum.

EST cùm alicui dicto ſeu Sententiæ, ſubnectitur alia præcedentis deſtructiva. Sic de Impio Rege: Clarior fuiſſet, ſi fuiſſet obſcurior: regna meritus ſi non regnâſſet.

Simile de Miecislao II. Poterat felicior dici Boleslaus, niſi ſecundum hunc genuiſſet.

Item de quodam: Vir in omnibus aureus, niſi quod avaris non placeret.

IV.

Fons Acuminum Oratoriorum.

EST luſus in verbis, qui vel eſt Traductio, vel Annominatio, vel nomen Æquivocum, vel locus Conjugatorum, vel Notatio Nominis. Ultimum ſeorſim ponam. Interim moneo, Admirabili Oratori luſus hos gravi ſententiâ eſſe temperandos, nè ad confinia levitatis deflectant. Adverte. Etſi ad ſecundum Fontem hinc aliquid derivari poſſe dixerim; tamen hoc loco aliter adhibentur, ibi autem tantùm per modum Cauſæ,

Luſus in verbis à Conjugatis, Traductione, & Annominatione ducti.

Talis luſus eſt ille de corrupto ſeculo: Ætatem vitijs anteverterant homines, nondum adulti, jam adulteri. Non diligenti manu mittenda erant fulmina, quæcunque caderent, in ſceleſtum caſura. Hominem inter homines nullum

lum reperisses, sed vel Angelos vel belluas, vel arâ Deorum dignos, vel harâ pecudum.

Tale & illud Tullij in Verrem: Quæ ista cùm cognovisset novus Astrologus, qui non tam cæli rationes quàm cælati argenti duceret, &c.&c.

Tale & illud de Clementia Principis: Non superest, quem metuas, hostibus metuende Princeps. unum hoc times, nè timeare, animorum victor pariter & armorum.

Tale & illud de Vladislao; Cessit impar tanto æmulo mundi terror Amurathes, nè caderet; si non hoc ipso prostratum orbis videt, quòd supplex tibi veniam ac pacem orans procideret, &c. Moscoviæ tellurem vix pede presseras cùm oppressisti.

Tale & illud de S. Gregorio Thaumaturgo: Difficiliùs sæpè montes moveri, quàm mentes expertus.

Et de S. Joanne Baptista; In deserto etiam disertus, qui urbem fugerat, Urbes ad se traxit.

Et illud de Tito: Exuit ferocem animum, cùm purpuram induisset.

Et illud de quibusdam in Panegyrico non commemoratis ob scelera; Novo igitur supplicio scelera ulciscitur, dum tacet scelestos; calamo ponis, quos expungit, totq; capita obtruncar, quot truncat nomina.

Et de Divo Martino: In solo miserorum amore eo usque constans, ut facilè pateret, eum sub Constantio meruisse.

Et de Boleslao Audace: Et tamen interrogare suam audaciam debuerat. cœlóne oppugnando par esset? ultra nominis audaciam progressus fidem suo fecit nomini.

Et illud Ferrarienſ: Hactenus perlustrationem illustriorem advenâ Xaverio quàm nativo sole Indiam, hoc est è Poëtarum mente ultimũ Solis cubile: sed non quiescit Xaverius ubi sol cubat, per invia avaritiæ, pervia charitati spatia excurrit.

Denique huc illud spectat: Illis modulantibus in furorem acti hostes, inter se digladiantur, paribúsque momentis illi canunt illi cadunt, chordarum concordia cordium discordiam irritante. Risit Mors Musica imbellem numerum cadere ad numeros, & lyram inter arma numerari, ùt inter astra.

Hìc multi Poëtæ: magis ex hoc quàm è caballino hauriunt. Sic illud ad Hæreticum: Ore manúq; canis, caneres tamen aptiùs, Aule,
Si se tot fidibus jungeret *una fides*.

Et: Cur aurum instabili nomen deduxit ab aura?
Fluxa nimisq; fluens est utriusque fides.

Et in senem civitem:
Fine coronari dicuntur cuncta; vovetur
Hæc etiam vitæ, Plute, corona tuæ.

L U S U S in verbis ex nomine Æquivoco, vel quasi æquivoco. Talis ille lusus est: Incipite Principes quæ præcipitis; Malè imperat, qui imperat tantùm.

Item

Item de læto obitu: Nullum libentiùs solvit debitum, quàm supremum.

Item illud de Nave Noëtica: Hæc neque velo acta, neque remige, semel omnes mortales in novum orbem trajecit.

Item de Christo hortum ingresso: Alter Alcides hortum ingressus non ut sumeret, sed ut absumeret mala. Et de Adami esu: Tantum malum orbi attulit prægustatum Adæ malum.

Hinc & Poëtæ sæpiùs. Sic illud in malum Oratorem:

Quis neget orando populum te, Flacce, movere;
Orantem quando concino tota fugit?

Item in illum ære alieno obrutum:

Mercator jacet hìc, cujus mihi nomina longum
Dicere; nam moriens nomina mille habuit.

Item illud de damnato: - - ô quàm velles
Interdicta forent ignis & unda tibi. (quod est supplicium exulum)

Et: Convenisse suis dicebam nomina rebus,
Cùm porrexisses tam mala, mala mihi.

V.

Fons Acuminum Oratoriorum.

Est varia Eruditio ab exemplis, Historijs, fabulis, ritu & consvetudine gentium desumpta: item ab ijs, quæ ad alias spectant scientias; si tam illa, quàm hæc ad rem tuam ingenio

genio moderante detorqueas non finè illecebra venuſtatis.

Sic acutè, illud de urbe in mari ſita ſtupris infami, dictum: Nec loci genius à bruta libidine alienus: nempè Venus in aquis nata ibidem renaſcitur.

Et in Aquilinum fulmine petitum: ſolam hanc Aquilam fulmen petit, non in aliorum duntaxat, ſed in ſuum etiam caput Jovi fulmina miniſtrantem.

Et illud de Oratore inter Cardinales adſcripto; Vaticanæ Purpuræ Patribus adlectus, nè ſuus Mercurio galerus deeſſet.

Et illa acutè de Divo Thoma dicuntur Eruditione à Mathematicis deſumpta: Cælum in paginam tranſtuliſti; nullum in eo micat, niſi primæ magnitudinis ſidus, & quæ tibi luminum copia eſt, viam lacteam vel ipſo exprimis atramento: quæ argumenti felicitas, inveniſti in Stellis ſingulis plura ſigna, cuivis ſuperbiam factura Zodiaco.

Etiam id Poëtis familiare; Sic illud:

Dum fugis ex acie, fruſtra culparis, Alane.
Pugnam Parthorum more, modoq; cies.

Et in bene capitatum; Una Jovis cerebro, tibi cùm ſit grande cerebrum,
Ex illo naſci bina Minerva poteſt.

Et illud: Alter Ariſtoteles noſtro jactaris in ævo,
Illius Euripos Eunomiane cave.

Et

Et illud: Sit nox centoculo quamvis oculatior
Argo,
Plus uno cernit lumine luſca dies.

VI.

Fons Acuminum Oratoriorum.

SI res efferatur per ſenſus reconditos & profundos, nec obvij ingenij ſed docti ſpecimen referentes, diſtinctos tamen à ſuperioribus fontibus. Senſum verò hujuſmodi deſumes (ùt ſuprà dictum) à nova rerum combinatione, vel contraria experientiæ ac effato, ſenſuique communi, vel hæc ſuperante; vel ex aliqua rerum Analogia ac Sympathia combinationi ingenioſæ deſerviente.

Tale eſt illud: Sacrificium prætendens templum diripit: deerat hoc miſeris, Regum pietatem timere. Vide plura exempla in ſenſibus Admirabilibus.

Et Poëtis hic fons familiaris. Sic illud in Monoculum:

Non patitur geminos Soles illuſtris Olympus:
Cum cælo quiddam frons tua moris habet.

Et illud. Candide, venaris lepores, ſed prædia perdis,
Actæon canibus ſic eris ipſe tuis.

Et illud: Si non vis blæſus, ſi non vis balbus haberi,
Do tibi conſilium, Pontiliane tace.

Et illud Sarbievij in malum Poëtam de sanctis Magdalena & Afra scribentem: Digna fuit lacrymis Magdalis, Afra focis. scilicet Poëma de istis sanctis.

VII.

Fons Acuminum.

ISque locupletissimus, Circumstantiæ & Adjuncta rerum, Personarum, Loci, Temporis. Adverte adjuncta rei potissimum esse sex: Locum, tempus, occasionem, modum, facultatem, instrumentum. Adjuncta Personæ secundùm Ciceronem duodecim: Nomen, natura, virtus, habitus, fortuna, vita, affectio, studia, consilia, facta, casus, oratio.

Acumen ex circumstantia nominis.

DEducitur hoc vel investigando Nominis etymon, vel ex eo aliqua inferendo, vel nominis proprietates expendendo; vel illud cum alijs nominibus comparando, vel ad illud Eruditiones accomodando.

Patet id in laude Divi Maximi: Maximus capacissimi nominis mensuram factis exæquans, etiam in minimis se Maximum exhibuit, suâ magnitudine illum oculis omnium prodente. Maximum tamen se negavit, quòd se in dies studeret facere majorem. Sed magnitudini tantæ cùm telluris obstarent angustiæ, cui capiendæ sola cæli immensitas par esset; hâc solâ tandem meruit comprehendi,

Patet idem in Epitaphio Margaritæ Principis N.

En quo Margaritas ostreo Mors includat! Frugalem quis malè fingat Mortem, plebejo non est contenta cibo, Cleopatræ ferculis assvevit, dum Margaritas, ut sorbeat, in pulverem atterit. Væ mundo ab ingluvie tanti monstri! pretiosæ dapes acuunt novam famem.

De Leone Sapieha est illud ex nomine: Invicta hæc Domus Leones semper generat; nunquam Cervos. Usque adeò Elizabeth gratiæ olim partu celebris, Hostium terrorem parturit & Leones: te tamen postremum edidit, ceu de grandiore partu diffideret, cùm Leonem edidisset.

Breviùs luditur à nomine in Filium Tullij degenerem: Paterni nominis nihil habuit præter syllabas.

At de Miecislai Uxore Rixa: Admirandus omnino Princeps, quòd cum Rixa pacificè vivere potuisset. Fuit hæc verè sui nominis, cui fidem fecerat innata sexui affectuum impotentia Pacis publicæ perturbatrix. Felicior illa Mater quàm uxor, quòd filium Regno dederit componendis civium diffidijs natum, adeò ut Rixâ Matre genitum negasset.

Et: Barbariem mentitum in Barbara nomen. Huc spectat laus Trajani apud Plinium de accurato Patris Patriæ nomine: Nonnè his tot tantísque meritis novos honores & titulos merebare? at tu etiam nomen Patris Patriæ recusabas;

bas; Quàm longa nobis cum modestia tua fuit pugna! quàm tardè vicimus! Nomen illud, quod alij primo Principatûs die receperant, tu eò usque distulisti, donec tu quoque benefactorum tuorum parcissimus æstimator, jam te mereri fatereris. Itaque soli omnium tibi contigit, ut Pater patriæ esses, antequam fieres, hoc tantùm cæteris major, quòd melior. Eras enim in animis nostris, eras in judicijs, nec publicæ pietatis intererat, quid vocarêre, nisi quòd ingrata sibi videretur Patria, quòd te Imperatorem priùs vocaret, cùm Patrem priùs experiretur.

Etiam Poëtæ ex hoc fonte delibant. Sic Bidermanus de S. Clara:

Præsentem gestas ipso præ pectore Solem,
Hinc bene te Claram dicere quisque potest.

Et Bahusiûs de S. Ursula: Ursa minor majórque vale, mea carbasa posthac
Ursula cum socijs virgine luce reget.

Item Senatori sic quidam precatur:

Grande Senatoris tibi nomen adhæsit; ô ergo
A senio nomen tale, Senator, habe.

Acumen ab Adjunctis seu circumstantijs Fortunæ.

ADjunctum Fortunæ continet. Genus, Stemma, Honores, &c.

I. Acu-

I.

Acumen è Natalium claritate.

Generis ſplendor proponitur acutè, vel ſic:

Vix pulchriùs coloratur nunc Oratio, quàm ab imaginibus majorum; vix cuiquam ſvaviùs inhæret Eloquentia, quàm ceris avorum; quaſi non faciliùs laudes Heroum ad maximum deducat, quàm ſi à Majoribus ordiatur.

Vel ſic: Avitos ejus fulgores non quævis palpebra impunè adſpexerit; meridianum hìc crede ſolem, in quem oculos nemo conjecerit, quin vindex in palpebra lumen perſentiſcat. Perſtrinxiſſet olim oculos Poloniæ tanta Serenitas, niſi in Aquilam incidiſſet non ignaram, ad ſerenius aſtrum cæcutire, noctuarum id eſſe non Aquilarum. Item de alio: E Rege natus nunquã ſe Regem credidit, niſi cùm ſe ſubjiceret ſibi. Et illud: Genere & ingenio laudatiſſimus Princeps, ad ſolem originis ſuæ ſe vix natus explorans, quos Heroas referebat in nomine, eoſdem reſtituere ſtuduit in virtute. Rapitur nempè excellens indoles in ſimilitudinem ſuorum.

Et illud in funere prænobilis adoleſcentis: At tu, Parentalis Dolor, gentilitiam imprimis ejus gloriam perſcrutare. Creſcet hinc luctûs materies, ubi à tam nobili ſtirpe, plantam noveris reciſam. nequit non eſſe luctuoſum, eos extingvi, quibus tam ſplendidè naſci contigit, æquè triſtior occaſus afficit, ac ortus ſerenior recreabat. Sa-

Secundò, Ad Natales acutè deducendos juvat Digressio de Majoribus in particulari, ùt est in Panegyrico qui inscribitur Rosa Pstrokoniana, & alijs.

Tertiò virtutum & meritorum radijs lucem Natalium auctam ostendunt. Sic illud: Avorum claritatem armorum fulgoribus illustravit, ne tantò minor esset, quòd Majores tot haberet. poterat Auctor hujus splendoris esse, nisi hæres fuisset.

Item: Non otiosus Majorum fuit sudor, dum velut suffragijs posterorum gloriæ laborabant, tu verò nisi à Majoribus senio quodam ac sacrâ cantitie venerabile genus accepisses, fecisses; dum tantum familiæ addis splendoris, ut non itâ ex illius claritate te æstimem, quàm illam ex tua. Sic enim ancillante Fortunâ pulchrè tuum confundis genus, ut intrà Majores tuos esse merearis, illi intra posteros. Majora illa, quæ, tibi debes, nec munera censeri possunt fortunæ, quæ una tecum erigis.

II.

Ex Stemmate Acumen.

I. IN Svada Civili plurima de stemmatibus affero, hìc aliqua propria hujus loci. Eruuntur hìc acumina vel ex Adjunctis rei in Stemmate depictæ: Sic de avito Lubomirsciorum flumine Orator: Ab hoc tu amne stare inscio, quin bono Reipublicæ devolvatur, in largiendo celeritatem didicisti. Illius nomen dulcedinem

nem nec inter maria amisisset. At idem ùt Patriæ fida semper tranquilláque statio,ità barbaris Myoparonibus inevitabile naufragiũ. Quoties ille rubuit cruore barbarorum? quoties ingenio ad candorem revocato, crystallo purior fluxit?

Sic & illud: Inhæret capiti mucro; ut jam inde Patriæ nonnisi atmata prodeant consilia.

Sic de tergemina Cruce Potociorum alius: Non unam Poloniæ lauream ominatur tergeminum Potociorum insigne, quando victrici Crucis signo non solius est vincere Constantini. Nè verò ab illa stirpe unicam felicitatem speres; tergeminam crucem vide. nempè nimiùm felices haud decet felicitatis in commune Parsimonia.

II. Vel ab Eruditione ad Stemma accommodata, quam habes in Svada Civili. Ut de avitis Zamoysciorum hastis: Pallas ipsa non alias aut gerere sagata vellet, aut togata regali defigere monumento: non alias Asiæ Victori Lysippus ille pro fulmine in dextera collocaret. Ivere per varias manus Scævolarum dicerem, quia notæ fortitudinis, sed quia errare in hoste nesciunt, haud occurrit par nomen.

III. Vel ab Allusione ad Gentilitiorum armorum colorem. Sic de Rosa Pstrokoniorum: Candidam nè mirere; cur enim erubesceret hactenus, nil invènit. Longa illi ætas hos induxit canos, ut simul induceret reverentiam. adeò ætates hæc vivit integras, non æstates, &

venuſtati adjungit etiam vetuſtatem. De eadem eſt illud:

Cur Roſa Pſtrokonidûm pura nive puriùs albet,
Concolor eſt Domini moribus iſte color.

IV. Vel à Comparatione rei ejuſdem cum alia. Sic de avita Navi Czarniecij: Vexit hæc Argo totius Poloniæ Fortunam, dum ille fabuloſo major Jaſone, non tam vellus aureum quàm veterem Polonæ fortitudinis gloriam repeteret, &c. De eadem eſt illud:

Jaſoniam cæli ſpatijs depellite Navem,
Dignior his fuerit Czarnieciana ratis.

Illud de Luna Danilovieiana:

Exuit ingenium Lunæ tua Luna, vicéſque,
Nam præter nomen cætera Solis habet.

Et de Gentilitio quorundam Equo:

Curre vel immenſæ Sonipes per Olympia Famæ:
Nam tibi pro meta Fama perennis erit.

Et de quorundam inſigni, quod eſt Urſus cum Virgine coronata;

Urſus & auguſtæ radians in luce coronæ
Virgo, tuæ condit nobile Stemma Domûs.
Cùm ſic Virgineo tuus emicet Urſus in auro;
Urſo cæleſtis fit minor urſa tuo.

Alluditur etiam ad AuctoremStemmatis & cauſam ejuſdem.

III. *Acu-*

III.

Acumen ex plurium Stemmatum Combinatione.

SIc ſenſus ille: *Felix hiſce Heroibus Polonia*; acutè per Alluſionem ad plura Stem̃ata effertur: Quoties Accipitrinorum vel Olorum pennis in altum provecta Poloniæ felicitas, quoties à Lunæ Stelliſq; cælo Patrio perennè affulgentibus illuſtris, avitis Pilavæ Crucibus conſecrata, in Agni vellere Jaſonis cariore conſpicua, in Leone flammas eructante inacceſſa & formidabilis, cum argenteis Szrzeniavæ fluminibus latè gloriam diffundens, in muro Leonis ſepto excubijs inexpugnabile nacta munimentum, in Urſo Cæleſti Cynoſurâ jubar auguſtius, in Uri Capite ſortita Capitolium Bonæ Mentis, in Roſis perpetuum ſibi Ver afflantibuss verè floridum nacta ſeculum. Gentilitiæ quorundã faſciæ nodo (cui veriùs Polonæ gloriæ omen, quàm Gordio Aſiatici ſpem Imperij fata innecterent) Faſciæ inquam nodo ſplendidè cincta, Tauro velut victimâ ſolenni honorata, denique armata ſagittis, munita Soleis, exculta vomeribus, Acervis vallata, &c. &c.

IV.

Acumen à Circumſtantia Honoris.

JUxta illa, quæ in Svada Civili habes de Gratulatione Honoris, Acumen poteſt deſumi tum ex honorum inſignibus, tum ex Muneris præſtan-

ſtantia,tum ex meritorum fulgore. quibus evectus,tum ex nomine Muneris, ſi acumen patitur decorum, tum à Modeſtia honorati.

Sic luditur ex inſignibus Regijs:

De Corona: In alijs non raró præter aurum nihil in vertice coruſcat, ſed tua hìc mentis immenſæ capacitas coronatur, nec majores coronato Capiti radios affundimus quàm diffundas, Coronæ alijs coronis gloriæ ac honoris ſunt, tibi primordia, non quòd tibi ſatìs gloriæ non fuerit ante Coronam, ſed quòd in glorioſè geſtis nullam, ignarus termini, coronidem patiare. Nec impreſſum capiti pondus aureum ità mentem opprimit, ut hæc in rem boni publici non ſubvolet. Et pondera nempè motum imprimunt, niſi quòd Baſilicum id regalis coronæ pondus, quantum nos infra te deprimit, tantùm te ſupra vulgiProcerumq; capita attollit, adeoq;unus inter omnes non ſecus eminere indicio Coronæ comprobaris, ac aurum inter metalla. Expalleſcit hoc aurum, ſe fæcundum conſilij caput unicâ exornare glebâ, unde ſereniùs ipſa eluceſcit.

De SigilloCancellarij: Majoris annuli curam, quam gem̃æ adinſtar tua illuſtrat virtus, ſuſcepiſti. decuit hoc tandem ſymbolo immortalia merita inſigniri, & tuis initiatam laudibus æternitatem hâc veluti arrha deſponſari. HonorariusRegis anteambulo factus docuiſti, ùt præire Fortunam non ſequi ſoleres, niſi quòd ſe cùm vitream alijs, tibi gemmeam præbuiſſet; minoris

Annu-

Annuli gemmâ tibi consignatâ. Macte! hîc te Annulus æternitati insinuat.

De clava Ducis: Erit cùm in virentes tibi laureas effrondescet, & Imperialis Clava, non minùs hosti Patriæ fatalis, quàm Herculis Clava monstris.

De Principis Trajani Modestia: Est hæc natura sideribus, ut parva & exilia validiorum exortus obscuret, & sæpè aliorum adventu dignitas inumbretur: tu tamen major omnibus, sed sinè ullius diminutione major, &c.

Item: Recusabas imperare; igitur cogendus fuisti. cogi porrò non poteras nisi periculo Patriæ & mutatione Reipublicæ. Obstinatum enim tibi non suscipere Imperium, nisi servandum fuisset, in magnâ vi, magno terrore modestia tua vincenda erat.

Et illud ex eodem fonte: Consulatus ipse sibi tuis humeris attolli & augescere videtur, quem suscipiendo gerendóque majorem facis. tu quidem ùt maximum recusâsti; sed hoc persvadere nemini poteras, nisi aliquando & non recusaveris. Doces futuros Principes non ideo tantum velle Consulem fieri ut fuerint.

Idem sentiendum de Adjunctis doctrinæ, virtutum, ætatis. Ut in illo patet. Longè à proposita brevitate Oratio declinaret, si tuam Infantiã quam æternitas suis jam involvit fascijs, senescenti orbi in solatium revolveret. Et; In immensum cresceret Oratio, si viriles annos in ætatis flore exhibitos, &c. &c.

V. Ex

V.

Ex Proprietatibus seu Adjunctis Artis vel Scientiæ Acumen.

ARtes intellige tum liberales illo contentas Versiculo :

Lingva, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra, id est Grammat. Rhetoricam, Dialect. Arithmet. Musicam, Geometriam, Astrologiam ; tum etiam illiberales, inter quas est Ars militaris : item scientias tum humanas, tum Divinas ; ex harum enim notitia & vocibus inibi usitatis, ac in tuam partem non inconcinnè translatis acuetur Oratio. Exempla passim in alijs videre licet, hic sufficiat

Salutatio Areopagi Sarmatici à Mathematico dicta.

NEc Mathesi salutandi officia licuit detrectare, ubi nova fori Patrij sidera illuxistis. Nova post exortum in Cygno & Cassiopea Phænomenon sese hìc offerunt Astrologo raræ magnitudinis lumina cujusvis Zodiaci radios extinctura, nisi quòd fixarum indolem Stellarum haud præseferant. Nec Arithmeticæ inter Judicum subsellia non satìs fit. Subtrahi è dierū calculo peroptat, quoties foro vestrî orbitas inducitur, quoties sedem hìc figitis, addi & multiplicari in im̄ensum. Non aurea potior illi regula, quàm leges aureæ, quas fovetis. Quodsi ad tubos assveta est Opticos Mathesis ; etiam citra tele-

sco-

scopij usum Urbis augeri videt angustias, quoties huc deflexistis, vel atomos assurgere in molem vestra imperat magnitudo. Quæ hìc species non svaviter oculis illabuntur? quanta radiorum à vestra luce reflexio? quanta refractio in obliquum? vix ullus nempè in orbe squalet angulus, quò vestra serenitas non pertingat. Nec Staticam vester non hilarat adventus: ponderibus librandis intenta, nullum grandius quàm judiciariæ auctoritatis reperit pondus, æquitatis bilancem in vobis, & nullis partium studijs circumactæ mentis æquilibrium venerata. Ubi autem horarum spatia è lucis ac umbræ consortio internoscimus, horas æquamus seculis, ubi alia quàm tot novorum solium, quot Procerum luce, dierum spatia cæpimus dimetiri, &c.

VI.

Acumen à Circumstantia Temporis.

ALludi solet hìc ad proprietates temporum; dierum, mensium, imò & ad signa cælestia, quæ tunc Sol ingreditur.

Sic de Ludovico XIII. mortuo in festo Ascensionis Christi. Duos una pompa diésque in cælum Reges extulit: alter, Deo Cæli Capitolium conscendente triumphi comes assumitur.

Ad Autumnum alluditur in funere Serenissimi Principis Sabaudiæ tunc extincti: Pluvius vobis, ô Cives, autumnus est, serenitate sepulta:

Ulciſcimini fletibus præteritæ felicitatem æſtatis, Octobri vindemiam lacrymarum offerente. Adeò Autumnum nequijt evadere ſumma Principis maturitas! & Sole libram ingreſſo decreſcere lux magis hominibus cœpit quàm diebus.

De quadam Principe ſub Autumnum ſublata illud: Cælo matura concidit in Autumno, & October qui eam dederat thalamo, dedit & tumulo; ità ludente cum hominibus Sole, ut illis idem quandóque dies contingat funerum, qui fuerat nuptiarum.

Et alius: Sol ipſe tanti admirator funeris, in libra etiamnum hæret, quaſi non aliâ digniùs lance poſſit explorari jacturæ hujus magnitudo, quàm Cœleſti. Ergo in libra Cælum examinat noſtra infortunia?

Ex hyemis conſideratione eſt illud de obitu cujuſdam: Ità vel in hyeme tua felicitas autumnavit, idèmque tibi æternitatis, qui anni menſiúmque initium Menſis fuit, alijs faſces novos, tibi æternitatis faſciam impertitus.

Et illud de Principis obitu: Infenſa floribus hyems eſt, Februarius Hyacinthos non tolerat, tam mites animas, non alij quàm immaniſſimi ſuſtulere dies. Sed jam tandem extra contagium hyemis eſt, ubi amænius ver perennat.

Mortem Czarniecij, quæ ultimo Antecineralium feriatum die contigit, ſic alius expendit: Amiſêre tunc nomen ſuum Hilaria, triduumq; illud diris potiùs deſtinatum quàm lyris, quod in-

intempestivo tanti Ducis funere communem confudit lætitiam, & lacrymas expressit Poloniæ. Jocularis Bromio Naumachia tunc placuit in lacrymis, quibus & pocula dilueret & gaudia. Poësis illum & India velut Numen agnoverat. Jupiter est, at Feretrius, bacchantium plausus planctibus, luctibus luxum permutans.

Huc spectant acutæ Allusiones ad festa in Orbe Christiano celebria de quibus in Svada Civili.

VII.

Acumen à Circumstantia Loci.

ITà de mortuo ad S. Faustinum: Ubi autem felicior Tibi Mors obtingeret? quàm ubi Faustinus suo nomine portendit faustitatem?

Ità de S. Cypriano suprà; Hic ut Africæ geminaret ardores, natus in Africa suum etiam Carthagini Tullium dedit.

Et de Eusebio: Non ad unius gloriam Provinciæ natus, in Sardinia animam, in Latio sedem, in Insubria Palmam accepit. Româ se dignum non putabat, ejus incola, nisi addictam spectaculis niteretur novo spectaculo pascere, virtutes omnes in se ceu in theatro circumferens.

Et de alio: Patriâ non moribus Asiaticus, etiam in Asia fortem nasci & ali præposuit.

Et illud de Chrysostomo: Sylvescere metuens secessit in sylvas, exuturus inter feras si quid inter homines ferinum induisset; felix, si, quam à

feris expulerat feritatem, in hominibus non vi-
disset.

Et de alio: In eremo innocentiam, quam in-
ter homines amiserat, quæsivit. Vel: quî viveret
inter homines, didicit inter feras.

Et de Hilario: Relegatus in Phrygiam, no-
vum Solem ab Occidente in Orientem re-
duxit.

IIX.

Acumen ex modo rei tractandæ quandam novitatem præseferente.

PAtet id Primò in Valedictione Delegatis Re-
gni judicibus in fine judiciorum dicta. Adhuc
vobis una superest, quam forum hoc discutiat,
causa, Æquissimi Legum Jurísque arbitri. Sed
novam judicij formam inducimus, utpote con-
tra judices acturi apud judices. Eundem ho-
die reum & Judicem forum accipiet. Nimirum
de vobis placet conqueri coram vobis. Effusa
in Urbem humanitatis rei hactenus, vestro jam
jam appetente abscessu, luctum eidem indicitis!
Haud leve piaculum est, non conscijs noxæ
mænibus inducere orbitatem. Solatia dolori
confunditis, quibus per vos adimitur æternitas,
dum in Urbem immigrat solitudo. Quid? justi-
tiæ dare justitiam, nec ultrà tueri velle jura æ-
quitatis: cavere ultrà nolle, nè metu supplicij
exulante, securiùs regnent vitia sinè freno ti-
moris: ad hæc urbi Solem (sic enim Justitiam, &
rectè, vocat nonnemo) Solem Urbi, imò toti

Se-

Soles eripere, an piaculo vacat? denique supplicia reis qui hactenus irrogâstis, jam insontis urbis animos vulneratis. En quot reos criminum facit Proceres hoc, quod adornatis iter. Agite, & quod alibi vix concesserim, vestris vos aut absolvite sententijs, aut ad longius hìc demorandi spacium damnate. Si tamen sic rei Urbem deseritis, vel alio saltèm insignes titulo eandem postliminio revisite Hospites, vel cum eadem Themidis securi, quâ illam hactenus munijstis.

PATET II. In objurgatione Encomiastica Albriccij apud Jugl. Si laudes Modestia respuit, Tolerantia querelas admittat. Quòd in nullo accusari valeas, reus es. Avocas ab optimis animos, quando exhibes meliora. Mortuo Tullio aures obstruimus, ex quo cæpimus redivivum audire, cujus excitâsti memoriam, gloriam extinxisti. Cùm sinè crimine dicas, te nemo nostrûm sinè crimine audiat, utpotè qui cogamur illicò vel desperando vel invidendo peccare. Pascendis auribus natus es: dubium tamen an earum magis acuas, an mitiges famem; cùm eas nunquam sinè tui fame dimittas. Quo diutiùs dixeris, eò magis cogimur timere, nè desinas. Id unum non amamus in te, sinè quo vix quidquam amamus in cæteris, Parsimoniam Orationis. Auditores tuos dicendo beaveras, quoties svavitati adderetur æternitas. Minarum horrorem ità confudisti delicijs, ut magis à te argui quàm laudari à cæteris peroptemus. Quod dege-

te cogamur Infantes, crimen tuum est, qui ità totam exhauseris Eloquentiam, ut extra te nulla supersit. objurgare tamen te maluimus quàm laudare, cùm ab eo uno laudari pro meritis possis, à quo uno non debeas.

PATET III. In Diris ac Imprecationibus Panegyricis fixi in Cruce Religiosi firmatis per Renovationem tribus Votorum Clavis. Næ tu diras mereris, felix Cruciarie! Ergo si Professus Modestiæ encomia recusas, Sectator tolerantiæ meritas admitte querimonias; jam te sic devoveo: Obstinatus huic immorere Cruci: tuorum hìc votorum meta esto: Æternùm hìc affixus hære: hìc te thronus Regem affectuum: hic fessum laboribus torus excipiat: sic quiescat, qui plumam odit: Indignus es, qui terram vel calce contingas, supra illam sic emine. Si Rhetores, hæc tibi quadrat suspensio; æternùm te voluptas horreat, oderit te libertas: Cruciarius es, nec desine. Utinam te vita priùs, quàm Crux hæc destituat! meruisti: causas accipe. reus es quòd hanc speculam ascendens, ex qua humanæ profundum Inconstantiæ metuens, te supra eam efferres. Mundum calce proteris? pulcher hic fastus, sed Mundo gravis. In Delicias cor hostile geris? in Crucem abi, & lene hoc tormentum. Quid si etiam ideò dies Veneris in Crucem Christum egit? Latebras Religionis amas, ut ex insidijs Mundum adoriare! Hìc ferves, ut orbem novus Phaëton vitæ integritate in æmulationem accendas!

Ad

Ad hæc rides innumeros Democrite, qui ſequuntur,quæ ſolus fugis.ſic unus tu ſcilicet ſapis; ſic ſeculum deſipit? ſequi paucos in optimis tibi bonum eſt; nec pluralitas hìc concludit? Quid plura? At quæ iſthæc ambitio, per egeni titulum, in cæli Principum titulos involare? Item juratæ inopiæ nihil deeſt, & Centuplum adhuc expectas? Hem mihi pauperem! & ſiderum ſceptra capit, Olympi hæres? Hem Pupillum! Cui egeſtas, Dives Mater, cui Pater Deus ipſe. A cæca Dea nil exigis, ſed à DEO qui totus oculus! Nulla tibi res propria, tamen totum Cælum rapis Proprietarius! Quid Satellitium loquar? Nunquam incomitatus prodis, Algor, ardor,Fames ,comites latus claudunt!quantæ inſuper id inconſtautiæ? Orbem fugis, & orbem pervagaris! Imò anguſtus tibi Orbis hic eſt, Antipodas quæris & ſubigis! Lucem refugis, & Indicem Orientem reviſis: Pondus terrenum excutis, & Æthiopem ſuccollas? At quod arrogantis audaciæ id genus? Homo æmulum te angelis candore opponis, inter homines non homo ſed Angelus! quod id arrogantiæ genus, nolle parem eſſe terrigenis, velle cælicolis? Cæli ingenium telluri velle inſcribere, transferre in mores, Spirituum Innocentiam? Adhæc, delicatus tu nimiùm, qui roſas inter & lilia tantùm degere velis! Item, Cùm Spinolæ ſis affinis, Equitem te jactitas Liliatum! cùm ſis Orthodoxus, puritatis ſtudio te novum,etſi non quoad fidem, exhibes Puritanum. Adhæc in-

credibilia ais agísque, id tuomet testimonio assecutus, ad quod ambigui Sarmatæ Mundúsque hæreat! Juratæ servituti veram libertatem inclusisti! in servitute libertimus, in libertate mancipium: cùm sis in nullo non maximus, imò (quod persvadet demissio) & non minimus, dubium in quo major esse possis! Liber es, & vinciris, tui ipsius Regnum alteri gubernandum tradere, omnibus Regnis nobilius reputans: verbo, non alius tu, quàm natus es: vivere satagis Dei solius famulus, cætera liber. Ob hæc, novam objurgationem, superiores ditas meruisti. In Crucem iterum, in Crucem, perennis Cruciarie, quòd nulli hac in parte displicere possis, Reus es.

Sectio II.

Quatuor Species Acutæ Dictionis ad Eloquentiam non vulgarem pertinentis.

PRæter Epigramma, quatuor dictionis acutæ assigno Species: Orationem, Elogium, Inscriptionem, & Dialogismum. Distingvo hæc; nam Elogium latiùs patet quàm Inscriptio: & Orationis partes illas notissimas, Exordium, Propositionem, Confirmationem, Confutationem, &c. non requirit Elogium, de quo hìc. His tribus adjicio Dialogismum, in quo inducuntur plures acuta miscentes colloquia, ùt fit in Dramate, vel in-

inter Collocutores scenicos & Declamatores, quales in Declamationibus Senecæ. De singulis hic.

§. I.

Prima Species Acutæ Dictionis, Oratio Acuta.

NOn vulgariter Acuta Oratio duplex est: Alia longior, qualis est in Panegyricis, ùt est Panegyricus Trajani, Orationes Ferratiensis, Arcus Pacis, &c. Alia brevior, quales sunt Orationes Officiosæ, Salutatoriæ, Gratulatoriæ, &c. Utrique huic generi Orationum Acutarum, ego nunc leges non præscribam, quia id non est hujus loci; sed tantùm exponam, quæ ad earum acumen admirabile attineant, seu unde & quomodo acutæ reddantur.

I.

Oratio Acuta longior

REquirit Inventionem & Propositionem Acutam: Dilatationem & Elocutionem acutam.

Ad Inventionem Acutam pertinet tum excogitatio Propositionis non obviæ, sed ingeniosiùs erutæ, tum argumentorum non vulgarium.

Propositio acuta & ingeniosa sumi potest I. Ex non obvio Oppositorum nexu, ùt est illa de tribus Religiosorum votis: Libertas in vinculis. Et in Panegyrico de B. Stanislao Kostka, cujus argumentum & Propositio est: Pia in

Parentes impietas. Item apud Ferrarium de eodem Propositio: Ex fuga victor. Item de Pentecostes die; Beatum Incendium. Item illa Propositio de HonorumMundíque Contemtu inB. Francisco Borgia: Sol ab occasu serenior. Item de S. Alexio: Illustris umbra.

Huc refertur illa: Conviva DEUS, id est Christus patiens & moriens, alludendo ad illud: Saturabitur opprobrijs.

II. Propositio acuta sumitur ex Paradoxo, quod in proposito aliquid non vulgare sonat. Sic est illa Propositio de flammis Piacularibus seu Purgatorio igne die Animarum anniversario: Æstas in Autumno. Item apud Gvinisium: Cometæ felicitas. Et illa de Immaculata Conceptione, & contrito à B.V. Capite serpentis, Propositio: Contritio sinè Pœnitentia. Item de B. Francisco Borgia: Oriens in occidente: ubi exponitur, ùt ex umbris, quas sibi ultro obtruserat, clarior emerserit. Sic de B. Stanislai Seraphico amore in Deum: Zona torrida in Aquilone. Et de eodem gestante Infantem Deum: Deus Captivus. Item illa propositio de S. Andrea Zoroardo 40. nucibus sub Quadragesimam victitante: Fames per inediam opsonata. Sic in Festo Theophoriæ: Cibus Ambulans. Sic & Sacri Oratoris: Beneficium DEI minæ. Item: Jejunium Atlas Orbis.

III. Propositio acùta sumitur ex accommoda Sholasticarum rerum vocúmque ad Propositionem translatione: Sic illa Propositio de S.

S. Francisco Xaverio ejúsque indefatigabili tot orarum decursu: Motus perpetuus in Divo, Orbi exibitus. Item illa Propositio de Immaculata Conceptione: Sol sinè maculis. Item illa de Incarnatione Filij DEI in Annuntiatione B. V. Metaphora in Verbo. Item illa: Solennis Christi ad Corpus receptio. Item de S. Francisco Xaverio: Nova Gigantomachia. Similiter in Annuntiatione B.V. Propositio: Logica Cælestis seu Conclusiones de Verbo in utero Virginis concludendo.

IV. Propositio sumitur ex Analogia eventûs in Oratione pertractandi cum alia re simili. Sic illa Propositio de 40. Martyribus in frigido lacu demersis: Felix Naumachia. Item victori; Arcus Pacis. Huc spectat symbolum virtutis vel vitij. hinc sumitur illa Propositio, in qua Allegoricè proponitur B. Aloysius: Eques Liliatus vel Liliũ Castilionense. Sic de B. Francisco Borgia: Phœnix Occidentis; per Allusionem ad Cineres Isabellæ, ex quibus hic Phœnix.

V. Propositio acuta sumitur ex Honoris insigni accommodato ad Panegyrim. Sic illa, in Panegyrico Mareschalci Victoris. Scipio seu Insigne Mareschalci in laureas efflorescens. Huc & illæ propositiones pertinent, quæ ex insignibus ad Divorum simulacra appictis desumuntur, ût ex Rota Catharinæ, Anchora Clementis, Remo Adalberti. Sic ex Corvo, qui S. Vincentio appingitur, Propositio eruta: Felix augurium.

VI. Propositio acuta sumitur ex generis insignibus seu Stemmate ad Propositionem inflexo. Sic ex Regio: Luna inSolem versa. Sic ex Czarnieciana navi & Stephani nomine: Argo Coronata. Sic ex Gentilitijs Turribus: Pharus Lechica. Sic de B. Aloysio: Aquila ad Solem. Item etiam ex Regni, Provinciæ, vel Civitatis insignibus.

VII Propositio acuta sumitur ex Eruditione. quod fit aut præferendo, aut comparando unum cum alio, vel innuendo quiddam tacitè non sinè quæsito colore & luce Propositionis eruditæ. Sic de B. Stanislao propositio: Amoris Olympia, seu Cursor Amoris. Sic super Nata Deipara Vaticinia Sacra, ubi Orator consulit Sibyllas more Romanorum de prodigioso in terris exortu. Sic & in Festo Conceptæ sinè originali noxa Virginis à quodam Oratore instituta Salutatio Auroræ more Romanorum, more Atlantium, more Tyriorum: Tyrijs enim matutinæ lucis aspectus Regni fuit Auspicium: Atlantibus populis infensior, utporè Solis & æstus diurni initium: Romanis alijsque gentibus amicius hoc sidus est. Sic die Parasceves Orationis materia Ferratio: Parricidium. ubi alludit ad Romanos Veteres, qui diem infamem cæde Julij Parricidium vocarunt. Sic de S. Francisco Xaverio utriusque Orbis Thaumaturgo illa Propositio erudita: Octavum orbis miraculum. nam alia 7. Orbis miracula satìs vulgata sunt. Item de Sanctis Martyribus palo infixis sub Nerone,

Pro-

Propositio: Nova Memphis Roma tot colossis inclyta quot Martyribus. Sic sacer etiam Orator in laudem sacræ à cibis abstinentiæ, Jejunium Atlas orbis.

IIX. Acuta Propositio fieri poterit sumptâ occasione ex aliqua circumstantiarum suprà recensitarum seu Adjunctorum. Sic occasione verni temporis tunc incipientis Propositio de S. Benedicto: ver inter spinas Benedicti reflorescens. Sic de Sanctis omnibus: Autumnus Divorum ferax.

Item ex eventu & prodigio. Ut de S. Xaverio Ferrariensis; Vir lingvarum omnium. Et ex nomine S. Stephani: Infantis Dei corona. Sic etiam ex lingvis igneis in Pentecoste: Æstas Amoris vel Pluvia lingvarum. Sic etiam sacer Orator; nam ex concursu Euangelij de flente Christo super Hierusalem & festo S. IGNATII, de quo Breviarium Romanum, quòd templis nitorem, Sacramentis reverentiam reduxerit, formavit nomen & Propositionem Panegyricam: IGNATIUS Christi Paraclitus, Consolator.

IX. Ex varia rerum combinatione. Sic nonnemo considerans plures in Polonia familias in gentilitio insigni præferre caput Leonis vel Vitulum, alias Ursum vel Sagittas, &c. Videns eadem in Cælo signa à Mathematicis describi, hæc in Panegyricum Poloniæ combinando, Propositionem illam eruit: Polonia terræ Zodiacus. Neque hic modus coincidit cum 4. quia ibi re-

quiritur similitudo inter combinandum, hîc non; sed etiam inter dissimilia, & quæ vix aliquam habent proprietatem inter se, sed ingenij ope vel conjunguntur vel disterminantur.

X. Etiam per se tenuior Propositio reddi potest admirabilior, si Metaphorâ vel insigniori Allegoriâ ejus attollatur humilitas, ùt est de Sanctis omnibus: Cælo donata terræ sidera. Et de B. Aloysio: Eum æquè virtutum ac Honorũ tenuisse Principatum. Vel si ex offerente se opportuno in verbis pro re nata lusu acuta eruatur Propositio. Sic de B. Aloysio Ferrariensis: Coronatus Coronæ Contemptor. De hoc Puncto plura Capite 9.

Hæc quoad Inventionem Propositionis Acutæ.

Quoad Argumenta non vulgaria, per quæ trahatur Oratio acuta, hæc adverte.

INprimis facilè obvia seponantur vel saltèm contextu Allegorico vel sensu singulari illustrentur. v g. Consolatio ægri, Morbus te lecto affixit? habes unde tolerantiæ Coronam decerpas. pedum usum amisisti? fugæ turpitudo tibi haud timenda. Vel colore aliquo aut Eruditione aut lusu illustrentur: Sic commendat quispiam monstra & feras: Nec monstra sinè commodo aut gloriæ censu. Herculem Theseúmq; aspicite, cui monstra cessere in trophæum. nunquam eò gloriæ Heroës hi pertigissent, ni Minotaurum Theseo Creta, Ursum Herculi Eryman-

manthia, Aprum Arcadia, Leonem Nemeæ objecisset saltus: quid feræ aliæ? horres in Panthera feritatem? at ejusdem pelle non minùs quàm Hercules Leonis exuvijs insolenter superbis; triste lupus stabulis? sed te contra hyemem obarmat. Ex lusu in verbis illud: Ferro simul ferimus & ferimur; propugnat id vitam & expugnat; perit persæpè ijsdem armis, quibus quis hostem ferit.

Deinde Causæ ingenij aliquid præseferentes excogitentur. quò juvant imprimis cùm graves Sententiæ; Sic illud: Etiam hostilis tibi prodest rabies, quando hæc gloriæ Tuæ seges crebrò extitit. Laurea tibi non obtigit, nisi hostilitas illam necteret; erigit tibi Colossos & trophæa, dum in te hostiliter assurgit: adeò ab hoste seu cadas fortiter, seu strenuè cædas, gloriæ destinatis. Nemo vires suas in pace probavit. Si bella desunt, virtus experimento caret. Tum Adjuncta & circumstantiæ expensæ, de quibus toties.

III. Si Proprietates rei in Allegoriam assumptæ, cum aliquo acumine ad propositum detorquentur; ùt Orationis dictæ in Annuntiatione B. V. Allegoria fuit, Metaphora in VERBO: ubi in contextu Orationis, Metaphoræ proprietates sunt expensæ: utilitas, necessitas, voluptas; & illa quòd non debeat esse frequens, & quomodo à longè petita, non obscura, non humilis seu tenuis, quæ omnia cum acumine ad præsens argumentum, sunt derivata, ùt videre licebit in ipsa Oratione. Denique argumentis

ad-

addes admirabilitatem ab Elocutione admirabili.

Quoad Elocutionem Admirabilem & acutam, hæc habebitur, si ad selectiores Acuminum fontes suprà indicatos recurras, & juxta doctrinam Capitis I. Sensus Admirabiles passim usurpes; inspersâ Eruditione hinc inde, juxta doctrinam Capitis II. gravibus item aut vibrantibus sententijs, quæ omnia videre licet tum in Plinij Panegyrico, tum in plerisq; Neotericis. Juvat etiam præter hæc, quæ de Oratione acuta hactenus dicta, videre Caput 9.

II.

Acuta Oratio Brevior.

BReviores Orationes Acutæ sunt in usu frequenti, ùt in adventu & recessu Hospitum, in Gratulatione, Petitione, Gratiarum actione, in Lustricis, Epithalamicis, Funebribus, alijsq; officiosis, imò & in Svasorijs, &c. De his toto ferè libello in Svada Civili te instruximus. Hìc omissis, quæ ibi fusè afferuntur, tantùm leges tunc acutè dicendi accipe.

Prima.

ALiquando hæ Orationes ità scribentur, ut una Propositio sit, ad quam collimetur, sed ex pluribus Adjunctis ad illam aliquid acutum referatur. Patet in illa Gratulatione natalis Christi, cujus hæc Propositio: Loqui hodie non decet; & decet; tamen proloquor & gratulor.

Gratulatio Natalis Christi acuta.

ELoquentem hodie pudet esse: cùm & Deus ipse Infans est: ùt neque styli decet maturitas, cùm Deus ipse Puer. Sed tamen ad Infantis etiam Dei cunas, omnis maturescit Eloquentia; nec lingvam obtinet verborum sterilitas, cùm & uterus VERBUM parit. At nec silentio locus est, ubi vel inter noctis silentia vocalissimo vagitu Verbum loquitur. Sileat is, qui lætitiam suopte ingenio loquacem esse ignorat; me ubi cælitum cantus & pastoritium provocat in plausum melos, etiam obmutescente Verbo tacere non decuit. Solus hodie Delphis obmutuit Apollo, eò quòd conspectum natæ Veritatis pati nequeant mendacia potiùs quàm oracula. Sed hìc ubi verior affectus perorat, abest obmutescendi periculum, nec Orationis lumina ad Te peroraturo desunt, cui nova Bethleemitico Sole lux affulget; cujus Orientis afflatus radijs, hâc prævia, hâc comite ad te venio non sinè liberali voto, ut quam hodie sparsit in commune liberaliter oriens sub carnea nube Deus, vitalis lucis copiam tibi quàm diutissimè affundat.

Idem patet in hac Salutatione Ducis cujusdam, ubi hæc Propositio, Illustrem nacti sumus te hospitem.

Salutatio Ducis cujusdam ad Regem Poloniæ properantis.

TE ad Solem Lechicum (nam Regum serenitas hoc Solijs indit nomen) properante, vel ipsa

ipſa novam repentè lucem hauriunt ingenia; fulgor illis oboritur, ſed qui coruſcantibus latè per Urbem radijs viam ad te patefacit. Sic quocunq; ingentes Animæ divertiſtis, copioſa luminum Vos copia circumſtat, adeóque Urbibus novum invehitis Orientem. Etiam minores Aquilas, quæ intra hæc primæ indolis formandæ adyta in ſpei publicæ Solem educantur, lux hæc afflat & recreat, etſi vix oculis delibata, vix oborta in quendam præmaturo abſceſſu properet occaſum. Sed juvat illam in tranſcurſu vel obiter delibare, quam Heroica tibi mens circumfundit, militari gloria innutrita:

- juvat uſque ſacro

Hærere vultu, - raroq; Ducis ſpectaculo beare oculos, quibus ubique ad plauſum ſplendidas, illuſtres ad æmulationem ſcenas exhibes. Pridem in tuæ virtutis admirationem alitem Polonam excivisti, cui ſummum tibi armorum regimen, virtutis ſuffragia ingeſſere, ubi tu meritorum mole nos pænè obruis, dum hoſtem (ſi lymphaticus in ſuæ cladis documenta temere te laceſſat) tuorum luce armorum opprimis. Nec minor in te à Principe redundat ſerenitas, cui fidiſſimus ſemper Achates etiam ſub inimica virtuti tempora adhæſiſti, mirante Polonia (quod de Petro dici noverat) etiam in Paulo tunc (*Paulus huic Duci nomen*) fidem non deficere. ùt ſemper hæc eluxit in ſereno Patriæ ſtatu, ſic in turbido enituir, nec unquam in Patriam, in Principem fluctuavit. Sed nè moram injici-

at Oratio, quam Regis imperium vix patitur, ſic te hinc abire tantiſper patimur, ut reducem votis calentibus exoptemus. Ibis tu quidem, quò te boni publici impellit ardor, ſed abeuntē votis animíſque proſequemur, ut te digna meritis, votis omnium non impar ubique felicitas comitetur.

Secunda.

ALiquando brevis, tamen acuta Oratio ità ſcribitur, ut non una Propoſitio per totam Orationem deducatur, ſed variæ nexu tamen ingenioſo & cum circumſtantiarum innexa perpenſione: Exempla ejuſmodi Orationum passim occurrent.

Tertia.

ALiquando poſſunt breves hujuſmodi Orationes ex una circumſtantia multiplex acumen deducere, acumine ex fontibus ſuprà datis derivato. Sic de Divi Joannis morte ſub conviviū natale & ſaltu Herodiadis, etſi hæc una tantùm circumſtantia, tamen vario politur acumine à Juglari: Affinem ſuis ſemper initijs finem eſſe didicimus à Joanne, qui vitam à choreis in utero auſpicatus, eandem perdidit in chorea. Nempe nulla dies magis funeſta virtuti, quàm quæ nequitiæ natalis eſt. Neſcit hæc convivia dare, niſi quæ vitam perimant. Ergo ceſſat vini ſitis, incipit ſangvinis: fit convivium belluarum, quod erat hominis; conceptam inter aras victimam

mam lictor immolat, non sacerdos. sapuisse dixisses Herodiadem, cui missus hic feralis sapuerit, quæ Joannem Regni dimidio prætulisset, malléetque illum non integrum quàm Fortunam Regni divisam. Et eguerat planè Capite, cui omne ingenium fluxerat in pedes. Sed jam è ferali cœna, Hospes, te proripe: Extincta Lucerna est; jam nihil hìc dignum luce expecta.

Quarta.

ALiquando brevem Orationem velut acu Phrygia contexit multiplicis acuminis junctura ex pluribus circumstantijs. Patet id in subjecta Gratulatione, quæ ex circumstantijs pluribus acuitur.

Gratulatio Nominis dicta Ioanni N.

IN lucem hodie prodit Gratia; prodeant & gratulantium certatim officia. Præivêre nobis, credo, alij, nec unus hodie præcursor est, ubi ad te animorum votis ceu passibus ad Gratiam excurrendum. Sed neque tarda respues obsequia, qui perennia meruisti, nisi quòd hæc tantò minora sunt, quantò major ille, qui in te colitur, utpote quo major haud assurrexerit. Mutos hactenus fuisse haud mirabere; Clamantis Vocem nisi montana proferant, elingves efficit nomen tuum. At nunc lingvas in plausus & præconia laxamus, quando muto etiam Joannis Parenti tacendi necessitas relaxatur.

tur. Pudet elingvem esse hodie, quando vel ipse mutus eloquens est, &c.

Placet idem illustrare in Materia Philosophica de spatijs imaginarijs, ubi Præfatio ex vario acumine, puta Philosophico, Poëtico, Oratorio contexitur, est autem hæc:

Præfatio Philosophica

De Deo in spatijs imaginarijs.

PRovocor in certamen, Auditores. Spatium imaginarium arena est, in qua Vetustis Gigantum in Jovem prælijs quiddam æmulum contempler. Excesse inde cogitur Deus, nec ultra spatij realis terminos ditiones finitur promovere, nihil extra hunc, quem novimus mundum, esse complures volunt, nè Deum quidem. Tam angustè hi immensitatem definiunt: ac si cælo ultimo illa caperetur. Agmen ducit Gabriel Vasquez robustum & natum in prælia Nomen, nempe pridem Angelica Nomina oppugnare DEUM (etsi Doctor hic tantùm à spatijs imaginarijs illum excludat) didicere. Sed arma, arma Socij: immensitas coarctatur. pulchrum est pro Numine arma capere, & ademptas illi restituere ditiones, illísque Deum. Sit, inquiunt illi, ubique Deus, at non ubi nihil est, alioquin esset etiam in Chimæra. Chimæra his auctoribus illudit? Chimæra illis pro scuto est? at noverint Bellerophontem etiam Chimæram expugnâsse. Ego Chimæras non timeo. Ergo De-

us non ſit, ubi nihil ſit aliud præter Deum? Quomodo, inquiunt, Deus ſit, ubi nihil eſt? Scilicer aliquid aliud neceſſe eſt eſſe, ubi eſt Deus! Quid ergo in hoc ſpatio, ubi nunc Mundus eſt, ante conditum mundum Deo coëxtitit? an illum hic fuiſſe ante Orbem conditum neges? Neque ad Chimæram provoca, ni rideri velis, qui ſpatium imaginarium cum Chimæris confundas. Nec volo coëxiſtere Deum ſpatio imaginario ùt reali alicui; hoc enim requirit actu eſſe utrumque extremum coëxiſtens; Sed tantùm, exiſtere ibi Deum, ubi nihil aliud eſt niſi Deus, aſſero, nec aliud unquã perſvadebis. ità me Im̃enſitas & cælis excelſior Majeſtas &c. &c.

§. II.

Secunda Species Acutæ Dictionis, Elogium.

ELogij nomine nunc intelligitur non tam laus quæcunque, quàm quoddam conciſæ & acutæ Orationis genus, ſeu referta acutiſſimis Laconiſmis Oratio, quæ poſſet quidem dici libera Poëſis, & quoddam Epigramma continuum, & multiplex, ſed lege Poëtica ſolutum; niſi frequens Epigrammatis levitas ab hoc illam nomine abſolveret.

Elogij proprietates hæ inſeparabiles: Brevitas, non Orationis ſed ſtyli; & Acumen, ſine quo hic rara linea. Sæpè hic quidem una periodus eſt ab alia independens ſuo contenta acumi-

mine (sicut & in Oratione unum argumentum ab alio non dependet) tamen omnes ad idem spectant argumentum. Acuminis nomine intellige etiam argutiores Sententias, & lusum in verbo rariorem. Acumen id ex dictis suprà fonsibus hauriendum. Excellunt in Elogijs Thesaurus & Juglaris, & Masculus; ab his Ideam sume legendo.

Triplex Modus Elogij scribendi.
Primus.

CUm Elogij totum Acumen consistit in sensibus Admirabilibus, ac Ingeniosis quibusdam Paradoxis, Oppositis, Contrarijs, gravibus, acutísque & doctum spirantibus sententijs, nec non grato verborum lusu, comparibus, similiter cadentibus, Antithetis. Hunc modum tenuit in Elogijs Emmanuel Thesaurus, & in postremis Elogijs varijs Juglaris, præter Elogia Dei hominis. Idem stylus est in Elogijs 12. Cæsarum. Exemplo Unico rem declaro.

Elogium Sigismundo III. in Colosso Varsaviensi inscriptum.

SIgismundus III. Svecis à Natura: Polonis à libera populorum suffragatione, utrísque à Deo datus Rex, è vetustissimo hinc Gottorum, hinc Polonorum, utrinq; Regio sangvine natus. A Patre regnandi, à Matre vivendi artem edoctus, ità vixit ut regnare; ità regnavit, ut vivere

cum

eum diutiſſimè Reipublicæ interfuerit. Regnavit à pueritia, vixit ad ſenium. Semper bonus ſupra ſuorum vota; ſemper felix ſupra Patriæ merita: Bello invictus; victoriâ mitis; pace juſtus. Nil unquam magis timuit, quàm bellorum cauſas: nil minùs, quàm eventa. Bellavit ſæpè, vicit ſemper, triumphavit nunquam; quòd diceret: Regum rationem ità demum conſtare, ſi illis labor, Reipublicæ fructus, Deo gloria, hoc eſt, ſua cuique reddantur. Vixit annos LXVI. quod Regum non multi: regnavit XLIV. quod pauci: ubique inculpatus & ſua laude innocens, quod vix aliqui. Fama cave, Livor ſile, Poſteritas mirare; ego magnos Manes veneratus, ſimiles orbi terrarum Reges precor, & lacrymans abeo.

Secundus.

Modus Elogij ſcribendi eſt, cùm materia una vel multiplex decurritur acutiſſimis Conceptibus, cauſis ingenioſiſſimis, &c. Quare non tam à ſenſibus admirabilibus, oppoſitis, paradoxis, conciſis, comparibus venatur gratiam & admirabilitatem hic modus, quàm ab acumine laborioſo & multiplici. Aliquando autem unam tantùm rem plurimis acuminibus deſcribit, aliquando plures v. g. totam Hiſtoriam.

Exemplum primi habes in Juglare, ubi de hoc tantùm acutè agit, cur nova ſtella in Chriſti ortu exorta; ſic ergo reſpondet per multa acumina. 1. Sinè novo Phoſphoro oriri non decuit

novam diem. 2. Pulchritudinem suam in terras miserat Deus; ejus proinde spectandæ gratiâ novum Cælo oculum condidit. 3. Plebejus potuerat Princeps luminum natus haberi, si venisset ad tenebras sinè face. 4. Procedens ùt è thalamo sponsus, Hymenæos suos adductâ è cælo tædâ nobilitas. 5. Hâc fugitivum in terras Numen accensa lucernâ Superi vestigant. 6. Ex quo Solem habetis in terra mortales, vobis, ultro sidera Cælũ cedit. 7. Loquitur lingva ignea pro tacente V E R B O perorans. Simile exemplum habes apud Ferrerium die Pentecostes; Cur tempestas hæc ignea, seu Amoris æstas missilium lingvarum innocenti prodigio fulminat? An quia Amoris fulmen lingva, amabiles flammas ad cor facilè jaculatur? an quia prodigus Amor suum erga nos Amorem sat profusum nequiret nisi ardentibus lingvis explicare? an quia VERBI Divini munus aptissimum, cælestes lingvæ sunt, &c.

Similis modus tenetur in Elogio, ubi acutæ rationes afferuntur: Cur Palatij Imperialis pars exusta proximè ante obitum Ferdinandi III. Imperatoris.

Melior cadit Phaëton, quidni orbis Imperialis ardeat? sic soles hi etiam dum occidunt, coruscant, & videri desinunt, non lucere; nisi fortè vel Europæo credas Alcidæ rogum sic excitari; vel navigaturo ad Insulas Cælitum Fortunatas hanc prælucere Pharum; vel Domitori tot hostium, ignes accendi triumphales; nè non se-

 re-

renior sit in occasu quàm in ipso vitæ ac Fortunæ meridie. Usque adeò Menti splendoribus innutritæ Palatinus splendor pretiosis ignibus parentat, ceu parum etiam Augustal niteat, nisi cum nativæ lucis dispendio flammas augeat à favilla. Sed absint fatales basilicis ædibus faces, adhuc Aulæ fumigant dolosis ignibus, mox fumum & cineres daturis: fumus lacrimas ab imperijs elicit vectigales.

Aliquando plures materiæ acutè decurruntur, ùt passim videre licet in Elogijs Juglaris & aliorum. Affero tamen unum Elogium hoc stylo scriptum, in quo vita S. IGNATII describitur.

Elogium S. IGNATIO Societatis JESU Auctori & Parenti.

ORbem inflammaturo nomen igneum fons sacer indidit: & facilè flammam concepit, cùm natale præsepium illi fœnum obtulisset. Nec imbellem probavit militia, quâ arcem primò propugnavit, ut mox oppugnaret orbem. Principium illi roboris casus dedit ac melioris militiæ fastigium: recepit in vulnere sanitatem, & concusso pede stare firmiùs cœpit; nam & debilitato crure (ùt fermè in virtutis curriculo animus generosior non claudicat) & læsâ tibia pervenit, quò Deus. Vidit Hierosolymis Christi vestigia, quæ deinde exprimeret Socios, quos hic è milite Imperator sibi adlegit, JESU nominis (quorum dives patrimonium Deus) hæ-

hæredes instituit; quasi non alia tessera IGNATII filios discernere debeat, quàm quòd DEUM referunt. Quid deinde? Rudis adhuc, orbem docere non metuit; novâ in Gymnade animos exercens: nempè ad hos illustrandos, satis eruditus est, cui DEUS affulget, & qui Deo calet. Digito Dei usus, scripsit legem igneam; Deum alicubi exulem, revocavit. Gemuit hæresis, dum hic extulit arma Cantaber, erroribus gravis, Orci terror. Sed dùm orbem per suos incenderet, non minùs urbem suis accendit exemplis; nè torperet charitas in Christi Regia, in conversarum Cænobio Amorem extinxit. Indixit & ruditati bellum, quam publicis proscripsit literis. Totus tandem Divinus cùm nec Odorem terræ sustineret, Cælum rapuit: Cœlestis animi vestigia stellas relinquens in ossibus.

Tertius

MOdus scribendi Elogium est mixtus ex primo & secundo. Et hunc modum tenuit in Lechiade Ines.

§. III.

Tertia Species Acutæ dictionis.

Inscriptio.

INscriptiones aliæ sunt sepulchrales, & lugubres seu Epitaphia: aliæ quæ Arcubus triumphalibus, Colossis & pyramidibus: item primo

lapidi templi, Hortis, aris, Templis, aliísque promiscuè inscribuntur.

Hæ omnes brevitate & aliquo acumine gaudent, quare earum hìc Exempla afferam.

I.

Inscriptiones sepulchrales Acutæ.

HÆ seu fiant in Lapide sepulchrali, seu in tabella argentea tumbæ affigi solita, seu in labaro seu vexillo; acutè & breviter alludunt ad stirpem & genus demortui, ad facta, officia, honores, & statum vitæ, & si quid in eo singulare; denique ad mortem mortísque diem. Tamen hìc parciùs aliqui utuntur acumine ac sententijs, quàm in Elogio. Acumen tamen potiùs maturum quàm floridum, esse hujus loci videtur. Exemplis declaro.

Inscriptio I.

Perillustri Domino, STANISLAO TRZEBICKI.

ETiam in hoc marmore perennet Fama Perillustris Domini Stanislai Trzebicki. Ætatem hic attigit, quam rarissimi: Circumtulit merita, quæ optimi: Prima illi ætas ingenium acuit, maturior, in hostes Patriæ ferrum. Binas annorum decades in armis exegit & trophæis, Patriæ impendens, quod literis ademerat. nempè præliari seculo potior est acies ferri quàm ingenij. Stephano Batorio tunc Rege stipendiarius

rius bellicis excursibus ac victorijs magnam orbis partem peragrans, ubique strenuus, bellandi & vincendi artes perdidicit: Plurium gentium lingvas meritus, quas optimè calluerat. Nec fortiùs in hostem agere noverat, quàm pati, apud Thracas mente liberâ quadriennio captivus. Redux è vinculis meliori sorte usus, à Janussio Duce in Ostrog. beneficijs auctus, quæ meruerat: nam hæc svaviùs libantur, dum in illis non plus relucet gratiæ quàm mercedis. Per bina dein connubia in plurium familiarum gloriam influxit, non meliùs spartam privatam domi, quàm publicam foris adornans. Tandem meritis ac senio gravis eodem semper vigore ad canos virtutem perduxit, meritis in Patriam immortuus Anno ætatis suæ 94. Ejus gloriæ superstes filius N. Saxū hoc ætati posthumæ parentis gloriam locuturum posuit Anno, &c.

Inscriptio II.

Illustrissimo D. GEORGIO Lubomirski S. R. I. Principi, Comiti in Wisniz Supremo Regni Mareschalco & Exercituum Duci. &c.

EHeu! hic mortales posuit exuvias GEORGIUS Lubomirski, dum viveret, Princeps, Mareschalcus, Dux: nunc cinis! Fortuna illi non infra genus: honores non infra merita, Cognatio cum summis, affinitas cum supremis:

Paternum genus è Palatinis in parente, Comitúmque splendoribus, illustre; Maternis natalibus in Ducum Jaroslaviensium gloriam influxit, è regio sangvine derivatam (Tam splendidè terras ingredi amant Heroum animæ!) Per Maternam Kostkarum lineam etiam Divis consangvineus. Nec in umbra primam ætatem egit, sed in Sole; nam sola inertia odit publicum. Ergo mentem exteris limandam Musis, & Leoni Bavarico limandam commisit, reliquam ætatem honoribus exegit & trophæis, seu Patriæ hostes vinceret seu Fortunam. At rarior qui Fortunæ non succubuit quàm armis. Eluxit ejus in Principem fides sub Sveticos tumultus, quem & Patriam sibi non tam ære obstrinxit, quàm auro, Regni insignibus tunc in tuto collocatis. Rakocium dum nequiret consilijs, igni in Transilvania, armis in Patria fregit. Defixit & Aquilæ Imperialis in se oculos, dum Legatione ad Ferdinandum III. splendidè functus, Imperij Princeps redije: quippè foris etiam triumphat, quem domi viventes adornant laureæ. Contra immissum Torunio robur Sveticum, armorũ regimen Dux obtinuit. Clava hæc Imperialis mox illi in laureas effronduit, quæ in Cudnoviensibus campis succrevere, cæsis fugatísq; inibi Moscorum 60. rebellium millibus 40. Sed non sic de Patria meritus, ut non etiam de cælo. Clarum Montem suis muneribus reddidit clariorem, tot votis ibi propitiatâ Cælorum Reginâ Gratiam apud Patriæ cives collegerat, quam Optimus Patriæ Ci-vi

vis. Tandem æquè bellis ac telis Fortunæ infractus, cedere tempori jussus è Patria, etiam cessit è vita; Ac ut ætatis Jubileum attigit, extra Patriam meliorem invenit Patriam, & è Szeniava Gentilitio prænobilem Cælo intulit aquæductum. Vixit Vratislaviæ Anno Christi, 1667.

Inscriptio III.

Generoso Domino Krzycki.

CAve siccis oculis hoc marmor videas Viator; pro sangvine da lacrymas Alberto Krzycki, quem fidei litavit & Patriæ. In eo sum̃a omnia præter ætatem: Indoles par optimis, ultra ætatem merita Vernantes annos amænioribus studijs; succrescentes Martiali gloriæ consecravit, ibi Appollinari laureâ, hic Martiâ non indignus. Venerati in eo Duces præmaturam Ducis prudentiam, collatâ ei Peditum Præfecturâ. Expavit Martialem ejus Spiritum hostis, qui fatalem illius manum expertus, sinistram globo appetijt. Fluxit de illo vulnere plus gloriæ quàm cruoris, cujus effusionem victor animus est secutus. Vincere viverèque desijt anno ætatis 22. contentus se tamdiu vixisse, quantum ad immortalem gloriam satis esset.

Inscriptio IV.

Serenissimo Principi Poloniæ Sigismundo Septenni.

LEge in his cineribus excidium Spei publicæ, Viator, in ipsa herba peractum est. Magni-

tudinem jacturæ pensa ex nomine. Sigismundus Vladislai IV. Filius, Pueritiæ bullam induens, exuit vitam; vix septennio Princeps! Illusit nefastus Aprilis ejus ortui: ver orbi aperuit, Principi tumulum! nam Cæcilia Renata quid pareret nisi sceptro aut Cælo natos? Expectas de eo judicium Vladislai? illo expirante hic exanimari cæpit. Tanto Principi, tantum crescere licuit in Augustum! Invidit hic Mensium Cæsar Regni spem Sigismundo. Indicavit Cælum, quid adimeret, magnæ ruinæ maximum fragorem antevertens. Sceptra messuit, dum aristas; nec antea has quàm Principem superbâ sanè messe in avitum Jagellonicæ stirpis manipulum collegisset. Tandem febrilibus exustus igniculis cum Laurentio laurum petijt. Tu ô Sarmatia ad Coronatum Principis bustum nè fleveris, nihil ille in vita egit dolendum, nisi quòd spei publicæ omina fatis anteverterit, quæ factis alere jam cœpisset.

Inscriptio V.

Ex Jugl. & Ines.

TEgit hic lapis, Viator, quem non una Tibi reteget Historia N. N. cujus venerabere cineres, si mores agnoveris. Majores hic sortitus, quos tales decerent posteri; fulgorem natalium claritate facinorum geminavit, dum idoneam trophæis ætatem ad arma transtulit. Aureo tamen homini fuit omnis ætas ex ferro: nullus illi Mensis non Martius: arma tractavit vel cùm fer-

ferre vix posset, nulli labori non impar, seu in Belgio ageret militem, seu in Italia Ducem. Obsessus à Rege, pro quo præter virtutem tempus & Fortuna pugnarent, omni tentatus ariete, nullo fractus, sui admiratorem dimisit, quem hostem acceperat. Fortitudinis stigmata gessit in vultu. Tandem ità avidus Immortalitatis, ut uon videretur ampliùs memor Mortis, Patriæ dolores maturo licèt funere auxit.

Illa brevior Inscriptio Thomæ Mori: Hic Thomæ Mori est nihil.

Inscriptio ludicra Heluoni.

ADesdum, & mihi propina, hospes: Salutem mihi precare, non requiem: nam & post fata sitio. Vixi quidem, sed ùt Philosophus ille in dolio: nec Philosophus tamen, quòd vacuum fieri posse docerem in poculis; nec Grammaticus, quòd casus, qui crapulam comitantur, declinare nescierim. Imò extra Philosophi morem, vicissim credo Centauros & Lapithas, si crateribus certandum foret. at victorem non aliud sertum meliùs coronâsset, quàm hedera. Sed quousque te siccus alloquar? huc pocula. &c. &c.

Ænigmatica Inscriptio Adamo Primo Parenti ex Thesauro.

SIste gradum, Viator, mira leges. Hic ille jacet, per quem omnes jacent: Cælo natus sum ex cæno; nec orbus nec posthumus fui, sed pa-

tris Matríſque expers. lignea nutrix ſinè lacte virum me genuit. Rex ego ſinè urbibus, dives ſinè auro, ludum aperui, tot nactus Auditores, quot homines. Heu ſtolida Sapientiæ fames! cùm omnia ſcirem, ut plura ſcirem, deſipere cœpi! Virorum ſapientiſſimus dementor à fæmina, quàm malè ſvada! Pomum cœleſti interdicto circumſcriptum attingens, beatæ ſylvæ fructus dum carpo, ſylvam amitto. Itaq; ex Rege agricola, qui Numen non colui, terram colui, tamdiúque ſecui terræ Matris uterum, donec utero me recepit. Uxor ergo me Immortalem peremit, uxorem ego, uterq; omnes. Ah quàm de minimo perijmus! tantum malum attulit malus; cujus frondibus obvolutus angvis, venenum vomuit, omnes hauſerunt. Tuus ego genitor, ſed nunquam viſus, te peremi, antequam gignerem, ſed ô lætas malorum vices! ligno eodem reparatus, quo perij; indidem venenum traxi & medelam.

II.

Inſcriptiones Promiſcuæ Acutæ.

IN alijs inſcriptionibus quarumcunq; rerum, Brevitas etiam & aliquod Acumen ex rerum variíſque Adjunctis, ac Fontibus acuminum petitum requiritur. Exempla inſinuo.

Inſcriptio Templi Corporis Chriſti, Taurini.

OCcurrite Cives tanto hoſpiti: apud vos iterum

rum Hospes Christus est. non antiquate beneficium, quod quia æternum est, semper est novum.

Alia Inscriptio Ejusdem.

ABite procul hinc bella : præoccupavit Urbem hanc Deus Pacis. Adeste Cives, & Pacem, quam non invenitis in terra, è Cælo quærite, jam apud vos non Hospes est Christus : jus Civitatis acquisivit : Populares suos Princeps Pacis inter arma non deseret : tueri vos potest, quia Deus ; vult, quia Civis.

Inscriptio Sacelli Votivi S. Josepho.

CIvitas hæc eundem dum moreretur experta Patronum, quem Christus dum viveret, Patrem ; Sopitâ peste, voti rea Sacellum hoc posuit.

Inscriptio Organi in Templo Taurinensi.

COmes Philippus N. amans in concentibus, quam profitetur in moribus Harmoniam, cùm optimè de se merito Numini dare grates unâ sat voce non posset, effuso in mille sexcenta guttura Spiritu, multiplici modulamine, multiplicem charitatem assiduè voluit hoc in templo laudari. Hìc plumbum mansvescit in concentus, & quod alibi occidit, hìc occinit. Stet semper ingens Paci præsagium, DEO sacrificium, Auctori præconium, Societatis JESU Patribus ornamentum.

Inſcriptio Arcûs Triumphalis *Eminentiſſimo Card. Cæſari Montis Mediolanum Ingredienti:*

ASſvevisti victorijs, aſſveſce & triumphis. Et Cæſarem & privatum eſſe non licet, ad primæ Romæ regimen per ſecundam aſcende: ad Te ſublimia quæque referuntur, ut ſuccreſcant. Eminentia titulus eſt alijs, Monti etiam natura. Si virtuti præmia non reſpondent, merentis gloriam crede, non temeritatem debentis. Ingredere igitur & Inſubriam hinc fęlicem crede, quòd iterum Cæſaris ſedes ſit.

Inſcriptio laureæ Coronæ Vladislao IV. Victori.

COllige & colliga florentis ævi meſſem, nunquam ſeneſcens virtus. Quot guttis Moſchoviticus cruor Arctoam rubefecit canitiem bellante Vladislao, tot pullularunt laureæ, tot palmæ Victori. Hinc ſerta necte virtus: nè tæniam quæras, cape æternitatis orbem.

Inſcriptio Coloſſi Triumphalis.

HIc furoris Othomanici limes æternus eſto, Buſtum Barbariæ eſt quod calcas, Viator. Cecidit in hac valle Oſmannus, clade ſuâ quàm Imperio orbi notior. Nec procul abeſt impermiſtus profano cineri Heroum ſangvis. Eheu! Stanislaus ille Zolkievius ibi vitam amiſit, ut Patria inveniret, &c.

In-

Inſcriptionem calami dicati B. V. Matri vide apud Lipſium.

Fiunt & aliæ minores etiam ſymbolicæ, acutæ tamen.

Pulchra illa & brevis Inſcriptio Horologij oblati Clementi IIX Romano Pontifici: *ſemper prima, nunquam ultima.*

Et illa Symbolica Inſcriptio præclara, bombyci intrà ergaſtulum laboranti, quæ eſt modeſti animi Symbolum: *Operitur, dum operatur.*

Et illa Soli Liberalium Symbolo: *non exoratus exorior.*

Et illa Inſcriptio non diſplicet inſcripta ferro militari ex Sarb. *Is auro nempè bibat, cui dulce ferrum eſt.*

Inſcriptio Gladij poteſt deſumi ex Poëtis. v. g. ex Seneca:

Nec temperari facilè nec reprimi poteſt ſtricti enſis ira: *Bella delectat cruor.*

Vel ex Sarbievio: *Ferro res eget & manu, & magnis animis:* hæc tuleris tria, dicam Geryoni parem, &c.

Vel ex eodem: *Formoſa fortes arma timent viros, Frangique nolent.*

Inſcriptio primi Lapidis

In Templi Structuram conſecrari ſoliti.

INſcribitur huic titulus Templi, Auctor ſeu Fundator, Tempus, Dies, Conſecrator: Ponti-

sex, qui eo tempore Ecclesiam rexit, Imperator Christianorum, Rex.

Sic Templi Brestensis primus lapis inscriptus:

DEO Opt: Max:
Et Sanctissimo JESU Nomini
Divoq; Principi ac Regni Indigeti
CASIMIRO.
Primum Templi Lapidem posuit
Illustrissimus D. Casimirus Leo Sapieha
Procancellarius, M. D. L. Capitaneus &c.
Consecrante Illustrissimo ac Reverendissimo
Domino N. Gembicki,
Luceorienn & Brestenn Antistite.
Romano Pontifice Innocentio X.
Imperatore Christiano Ferdinando III.
Rege Poloniæ Joanne Casimiro
Die 14. Iulij Divo Bonaventuræ sacrâ,
Anno DEI Hominis, 1653.

Eadem Inscriptio sic acutiùs data.

HOc quod terræ impactum vides Marmor, monimentũ Pietatis in Deum Divósq;, Munificentiæ in Soc: JESU minimam (nempè is mihi munificus, qui nec minimos à beneficentiæ influxu removet) à Casimiro Leone Sapieha Procancellario M·D.L. Cælo semel exhibitum, terris perenniter occultatum: satis illi est vel semel Cæli oculos meruisse. Idem Lapis Basilicam Sacrosancto JESU nomini & Divo Casimi-

to ſacram ſuſtinet. Adeò vel tantorum Nominum illi gloria tutò inſiſtit! At tu Caſimire Sapieha, nè tuo nomini umbras metue; poſtquam ſic Divinum à ſitu & umbra vindicas, dulcius & Tuum in faſtis ſonabit, ſvavitate à dulci nomine delibatâ. Unus Tu magnum alioqui nomen docuiſti templo poſſe capi: Altiſſimi nomen adhuc admotis Cælo Baſilicis altiùs poſſe erigi: admirabile, ſtructuris mirabilius reddi. Quæ tibi Cælum præmia deſtinârit, ſacer Divo Bonaventuræ dies prædixit, quo primum Lapidem Angulari Lapidi conſecrâſti; Quem nè ſolum erigeres ad terrorem, Terribili Dei titulo, gratiam mutuâſti à Lilijs Caſimiri. quippe cum Caſia & Myrrha ſvaviter fragrat effuſum Oleũ. Denique Baſilica hæc & Divini nominis erit, & tui perenne poſteris monimentum.

Huc pertinent & Librorum Inſcriptiones, quæ non parum gratiæ libro conciliare poſſunt. Acumen earum ſumitur vel à non vulgari combinatione materiæ cum aliquo Analogiam invicem habente, vel ex Principali Perſona (ùt Tragœdiæ, vel ex Principali Propoſitione, ſeu fine libri, vel ex Eruditione; vel certè ſi liber Orationem continet, titulus eruatur ex ijſdem Fontibus, quos immediatè de Acuta Propoſitione indicavi. Sic Orationibus Puteani data Inſcriptio Erudita: Svada Attica, nempè per Oppoſitionem ad Aſiaticam & robuſtam Eloquentiam. Sed horum exempla in promptu.

§. IV.

Quarta Acuti Styli ſpecies,

DIALOGISMI.

ACutus Dialogiſmus eſt, cùm duæ vel plures Perſonæ inducuntur colloquentes, reíque ac materiæ ſenſus admirabiles congruos, ſententias gravi judicio elimatas, & profundioris internuntias ingenij inter loquendum permiſcent. Horum omniū fontes ſuprà aperui. Hîc exemplum affero in ManlioDictatore,qui filium contra ſuum edictum cum hoſte pugnantem & vincentem ſecuri ſubjecit. Sic ergo Victor Filius

DIALOGISMUS I.

MAnlij filius. Quem exploratorem dimiſeras, victorem accipe, Dux & Parens invicte. Vici tuis filius auſpicijs; virtute, quæ Manlij filium decuiſſet. Habes ſpolia Latinorum Duci, manu hâc detracta; ea Jovi Capitolino, Tibi Victoriæ cedo gloriam. Grandioribus Tuis minore præluſi laureâ. ominari licet, ùt prima belli auſpicia ceſſere, ſic fore deinceps univerſa. A me unus tantùm accepit Metius, â Tua manu omne Latium cladem ultimam præſtolatur.

Manlius. Perijſti: vincere non licuit, ubi nec pugnare. Exploratorem Te miſeram, ac ut hoſtem videres eminus, non vinceres.

Filius. An verò Tu victoriæ nomen intra crimen rejicis? an victã maluiſſes Romam, quàm Victricem?

Man-

Manlius. Nolim Victoriam, quam violata edictorum authoritas dedecorat, nec illa placet laurea, quæ de militari disciplina vel modicum decerpit. Præstat non vincere, quàm vicisse turpiter.

Filius. Turpe ibi detrectare victoriam, ubi turpius pugnam. at me illuc impulerat Fortuna, ut & possem vincere, & deberem. Hostem mihi Fors inopinato obtulit & Victoriam.

Manlius. Ergo Tibi Ducum imperijs fortuita potior Victoriæ?

Filius. Aggressorem quæ unquam lex occupare armis vetuit?

Manlius. Illene aggressor, cujus minas eludere potuisses? Metius pugnam tibi obtulerat; at ego vetueram.

Filius. Ergo probrum Romani nominis placuit?

Manlius. Etiámne tu patere probrum putas?

Filius. Insultante viréſque etiam Romanas ridente Latino, injuriam armis haud vindicare, probro vacat?

Manlius. Adeóne tuo cavisti, non item Consulum probro, quorum Imperijs derogâsti? Eodem ictu & hostem confodisti, & Imperij reverentiam! Frustra es. supplicio Victoriam elue. I lictor, securim expedi, manus colliga.

Filius. Etiámne Victori?

Manlius. Etiam legum Contemptori. Victoria nulla est, ubi pulchrius non vicisse.

Filius. Ergo securi me subjicis?

Manlius. Te ipsum subjecisti. capitale noveras decertasse.

Filius. At Parens es.

Manlius Etiam legum vindex: malè verò auctoritati legum caveretur, si plus daretur sangvini.

Filius. Si fusus fugatúsque, si castris exutus fuissem, an aliter facinus rependisses?

Manlius. Causæ utrinque æquitas necem distingveret, uti imperaret. Frustra agis, disce Manliana Imperia venerari.

Filius. At precibus locum & aurem, Parens, dabis!

Manlius. Non aliam, quàm apud Metium sui vindicem habuisses.

I lictor, manus ad palum deliga, virgas & securim expedi.

DIALOGISMUS II.

Sit de pueritia Alexandri Macedonis, in quo nulla pars ætatis laudum vacua. etiā tunc ille magnus, cùm magnus esse per ætatem nequijt; nec major fortasse Vir, quàm puer. Referat ergo hic præconium pueritia, quæ dum prudentiæ morúmq; quoddam senium attigit, pueritiæ metas transilijt. Quod quidem eo libentiùs affero, quòd hic sensuum eorum sit copia, qui ad elucidandam doctrinam initio hujus libelli de sensibus admirabilibus traditam spectant; & præsentem de dialogismo doctrinam illustrant.

PUE-

PUERITIA
Alexandri Macedonis.
§. I.
Alexander cum aliquot ephebis.
Alexander.

TRiumphos mens agitat, & crescere piget absque laurea. Alexander non sum, nisi mihi supplicem in genibus Orbem pono. Promovit parens regni terminos; sed nescit terminum nostra virtus. Frustra es, Philippe; Macedonia me non capit, nihil tuus à te accipit Alexander, si Orbem illi non dedisti. Immensam gloriæ sitim patrij amnes haud restingvunt: Oceanus Orbẽ terminans quærendus est: is mihi pro meta gloriæ, vel si quid ultra Orbem excurrit. Nec obstat ætas, ubi virtus ætatem supplet, & in puerili corpore gigas est animus. Ætas mihi non ultra Pueritiæ terminos est, sed animus adolevit. trophæa malim, quàm años computare. at ubi trophæa quis molitur, virtus in censum abeat, non ætas. Deses nimiùm manus est, quæ annos computat ad triumphum. Is mihi demum victor, qui vincit etiã dum vix potest; & laureas priùs numerat, quàm annos. Imò simul mens cum viribus maturescit, & ipsum animi robur corporis vires consolidat. Quin ergo jam Philippum refero, nec maturioribus præludo prælijs? semper mihi promptum vincere, quamdiu expeditum.

tum eſt vivere. Parentem opperior; armorum regimen is ubi mihi dederit, Orbis time, ultima terrarum & Orientis luſtrare armis mihi certum eſt: Macedonum ſigna inferam, quò nec Macedonicum Nomen pertigiſſet.

Ephebus Primus:

Tempera votis, ô Princeps, hæc-non viribus iſtis conveniunt -- nec tam puerilibus annis. vota hæc ultra ætatem, etſi non infrà hanc indolem. tantiſper expecta, dum corpus cum viribus coaleſcat: annis grandioribus id gloriæ reſerva: ſtabit intrà gloriam, etiam nunc velle ſic vincere. Interim bulla Pueritiam ornet, arma virum.

Alexander.

MAgna molientibus maturè incepto opus eſt. Maturiùs curſum inchoat, cui im̃enſa famæ ſpatia decurrenda. Velle vincere illi eludat vota gloriæ, cui magnificum nihil ſupereſt niſi velle; at ego trophæa velim, non deſideria trophæorum. bullam Puer induat, arma Alexander. plus mihi ornamenti in galea, quàm in corona vel adoleſcentiæ inſignibus. Nec purpuram amo, niſi quæ hoſtium tabo erubuit. denique idonea manus pugnæ, quæ adulta victoriæ.

Ephebus Secundus.

ERit, cùm victoriæ tibi dies continuos diſtingvent, & Solis excedet vices tua gloria; ſed nunc potiùs ludis animum relaxa, & curas animo

nimo per ludicra dispunge. Si tibi dulce victoris nomen, certamen offero, & una hæc juvenum manus: habes hìc pugiles concertaturos strenuè, seu discum, seu luctum malis & palæstrã, hastiludium si lubeat, vel mihi annulum hasta induet: sic hostile latus tua quondam hauriat. Quodsi, ùt cursu vales quàm plurimum, in Olympicum procurris stadium, præstò sum; alibi tibi laurea, hìc mihi obtigerit oleaster.

Alexander.

Ludicro hæc victori svaseris; at mihi judicræ non placent laureæ. Orbis mihi meta est, non annulus: excurrere in hostem, quàm in Olympia potiùs in votis est. Sed neq; magis pernicitate pedũ, quàm manu valeo. Securus sum ubiq; laureæ, si digna Principe contingat ratio pugnæ. Adhæc, ut velim vincere; quem vincam, par non occurrit specie hostilis experimenti pugil: Reges mihi oppone, & Olympia decurrã. Langvet absque pari æmulo virtus. illa mihi laurus non indecora, quæ nobili de hoste decerpitur. Nec vallem petunt fulmina, nec leo in agnum irruit, nec Viro prostrata imbellis infantia Decus parit. Paribus congredi speciosum: minoribus extra laudem est. Rex sit oportet, qui mihi lusum offerat: Regibus colludere tantùm libet.

§. II.

Nuntius, Alexander, Legatus ex Perside.

Nun-

Nuntius.

ADsunt ex Perside legati, ô Princeps, tua petunt alloquia, quando Cheronæa Philippum detinet. Illum opperiri sui Principis cogunt imperia; & moram, causæ momentis posthabent. Cultus illis, qui barbaros decet; itineris causæ in aperto: incertum, pacem an bellum ferant. Sed Philippum requirentibus, etiam Alexandri conspectus in votis est.

Alexander.

PAtet illis regia, patent aures. Viderim gentem, cui (ùt jam præsagit animus) fatalis olim erit gladius Alexandri. Vos illis comitatum præbete hospitalem. Cum Regibus vel Regum legatis agere id demum Principe non indignum; pulchriùs mihi sic animum, quàm cæstu vel cursu distrahere.

Legatus ex Perside:

ATtigimus tandem, quò nos Oriens destinavit. Princeps inclyte, Philippum requirimus, sed in te Philippi sangvinem reveremur. Nescit metam vestra gloria, quæ Asiam latè pervagatur. Philippi armis intremuit nuper Thracia, Tygris & Euphrates inhorruit. Ad eum nos Rex Asiæ Darius destinat, morâ tantisper, dum redeat, tuo conspectu levaturos.

Alexander.

AB itinere fessos quies & Subsellia excipiant. Hìc Philippi reditum præstolemini, dum

vincat: ſpatium illi victoriæ concedite, aderit ille, nec laurus differet, nec reſponſa. Græciæ illum arma diſtinent, cujus clades proſequitur in Bœotia, quas alibi auſpicatus. Sed Darij res an in turbido? oleas metat an laureas? pacíſne artibus magis ſtudet quàm trophæis?

Legatus:

AB armis agit otium: arma ponere pax alta jubet, olim infeſta nobis Græciæ ſigna, nunc fœderantur. Habet tamen, quos opponat etiamnum Perſia, ſi quis virturem temere laceſſat. nunquam militaris ceſſat exercitatio: etiam pacem in armis agimus.

Alexander.

QUod verò Perſici exercitus robur? numeróne plus valeat an virtute? quæ gentes arma ſociant?

Legatus:

VIrtus an numerus in milite ſuperet, in medio relinquo. Numerum vix ineas, quem Sociæ gentes conflant. Xerxes alius Septingenta millia de regno armaverat, trecenta millia de auxilijs: exhauſta tunc flumina & carinæ. At nunc etiam Virorum abundè eſt. Aſiam & Aſiæ populos animo percurre, & numerum militis inijſti. Mitto immortales copias è decem millibus conflatas, quæ mori neſciunt, quin par numero ſuccreſcat robur. Regiam item arma circumſtrepunt complura, in præſidijs hærent plu-

plurima. amat nempe pares excubias summa potestas.

Alexander.

AT imperij quæ vastitas? quæ opes? quæ comeatuum ratio imperium transeunti?

Legatus:

OMnes propè auroræ populos nostra ditio comprehendit. Asiam imperio coërcemus: quidquid inter Hellespontum & Halym, quidquid Tygris alluit & Euphrates, Regni Persici munimenta crede: Ægyptum nobis Nilus fœcundat: Hydaspes nos aureis inundat fluctibus: nobis aureum Bactra tributum debent: Hircania, Media, & Indorum accolæ atque ad Caucasum & Tanaim vix ipso notæ nomine parent gentes. Senescendum foret id terrarum obeunti. Opes imperij tot aurei torrentes fundunt: fortunas felix Arabia subministrat. aurea ibi ora aureum semper parit sæculum. Commeatuum ratio expedita: agri fertilem glebam alunt: mira frugum ubertas, messes opimæ, ferax vindemia, armentis campi vix suppetunt.

Alexander.

O Dignum me Principe imperium, nisi universum Orbem malim. nam tanta etiam tuo liberali præconio Persia minor est, quàm ut me impleat capiátve, cui vix orbis sufficit. Pudet ibi cursum Victoriarum sistere, quò illas communis pluribus armorum felicitas promovit. Nondum

dum pulchram gloriæ famem totus Oriens implebit, si extra captũ etiam Euphratem & Gangem aliquid capiendum supersit, quò vela gloriæ explicem ac convertam. Sed qualis in hostes Darius? qualis in Cives? an tyrannide omnia, an benevolentia coërcet?

Legatus:

VIvit cum Civibus, ùt parens cum liberis, hostes armis, cives benevolentia devincit: ibi ferro, hìc auro plurimùm potest pollétque. Tyrannidis nè nomen quidem audijmus. etiam vilissimi sangvinis pulchra inibi parsimonia.

§. III.

Nuntius, Alexander, Parmenio.

Nuntius.

BEne habet, Princeps Maxime, vicimus, totæ jam vires Græciæ concidere, quas ad Cheronæam effuderat. Numerum hostium ex clade conjice, quæ Græciæ Imperio finem attulit. tanto fuit opus apparatu ad tantam stragem! Tantũ ibi datum haustúmque sangvinis, quantum nec Athenæ vellent, nec Thebæ crederent. Crevit Bœotiæ vico nobilitas conscio tantæ cladis & triumphi. Sic pereat, quisquis Macedoniæ arma infert. Non alibi pulchriùs quàm hic tuus triumphavit parens, vix Ducis Græciæ nomen è tot spolijs ad se pertinere passus, cùm jam Græcia Regem dixerit. Satìs illi ad nominis decus vicis-

se: tantúmque imperium tantâ delevisse ruinâ, pulchrius Victoris illi nomen, quàm Regis.

Alexander.

A Deóne Parens me per imbellem pueritiam domi deside profert laureas? sic arma ubiq; victricia solus circumfert? jam Thessalos attrivit: jam Thraciam palmari ferro domuit: fractis demum Græciæ viribus, quid mihi parandum gloriæ, quid vincendum superest? Meis adimitur trophæis, quidquid accedit Paternis; nec modica mihi pars laudis interit, quæ ab alio præcerpitur. At ea mihi gustulum proritat gloria, quam nemo inter cruda ferri opsonia delibavit. Parens certè quot oras Victoriarum cursu peragrat, tot mihi præcipit. Meta fuissent, quæ incendijs populatus vel in plana submittit. Paruissent mihi, quos fudit in acie; tulissent me cogente jugum, quos ferrum oppressit.

Parmenio.

Etiámne ad Parentis gloriam, Princeps, ingemiscis? an malis victricem Græciam, quàm victorem Philippum? ergo te illius cruentant laureæ, victoriæ dehonestant? Attritâ Græciâ num Orbis imperia concidere? nihilne ferro domandum superest, ubi Athenæ corruunt? Arctè verò natura definisset Orbem, si extra Thebas Athenásque nihil reliquum protulisset. Vicerit ergo Græciam Philippus, nondum Orbem, qui tuis armis superest, & jugum jam Alexandri expavescit.

Ale-

Alexander.

VIctum quidem Parentem nolim, quia nec illius amo dedecus; sed nec meum. mihi verò probrum seritur, quoties triumphi prærepta materies triumphos minuit, vincendi præcludit industriam. Vinceret Philippus; sed Alexandro signa inferente. Græciæ amo vulnera, sed meis armis inflicta: ruinam ejus haud ægrè tulerim, si mea manu concidat. Neq; hæc invidiæ vox est; sed mihi auferri gloriam, cùm minuitur, ægrè habeo. Meæ fortunæ author esse malim, quàm hæres; mallem, à me potiùs Parens, quàm à Parente Græciam recepissem. Equidem si mihi in fatis est Orbem vincere, nec Græciam detrectâssem.

§. IV.

Ephebus, Anaximenes, Aristoteles.

Ephebus.

ORator tuus regiæ gradum admovet ô Princeps, credo eloquentiæ pensum exacturus.

Alexander.

ID quidem meditatum & multa, quod ajunt, cruciatum limâ, industriæ mihi primas, ingenij deferet non postremas.

Anaximenes.

UT ut nulli tributo velit obnoxium fortuna Principem, ab ingenij censu non eximitur. Stylum requiro, quem literariæ Principi leges indixere.

 Ale-

Alexander.

ID verò tributi pendere mihi extra probrum duco. Impera tributum grandius, feres: impone gravius; feram. En laboratum ad lucernam opus: non semel id mihi, ùt Apelli linea, in spongiam incubuit elimatum. Argumentū est: Consilia Principi ubiq; in bello maximè arcana esse oportere. Mœonius item vates mihi in delicijs. Sub pulvino Homerus tantùm & gladius: is me regit, ille tuetur. Huic vati institi, ac Etopæiam Ajacis pro armis Achillis contra Ulyssem ad Eloquentiæ leges excolui.

Anaximenes.

EGregium verò & dignum hoc calamo argumentum! Equidem Consilia tamdiu tuta, quamdiu abdita, tum illustria, cùm lucem nesciunt, nisi cùm in apertum fatorum violentia cogit erumpere. Sint hæc ùt oracula, quæ tum ex abdito panduntur, tum abstrusa oratio perplexiùs mentem innodans, eis nubem & reverentiam intendit. Hostem non exterrent consilia, quæ ex notitia pondus minásq; amisere. adimit illis metum arcanis obliqua garrulitas. dolus etiam doli rationem amittit, nisi astu colas. Sed en Aristoteles se huc infert.

Alexander.

VEnetor summum scientiarum Antistitem, tempori venisti: Philosophari rantisper libet, & Rhetoricen disceptatione interpungere, quam mihi nuper per aures in animum, in memoriam transmisisti. Ari-

Aristoteles.

QUando Principi etiam tunc parendum, cùm defert imperia, pareo, & disceptandi argumentum è politicis eruo. Quod verò tu Imperij genus terris aptius ducis? an plurium regimen, an unius? Monarcha tibi potior in imperio, an Optimates vel populus? Nam hujusmodi species ex regia gubernatione prolabuntur in Tyrannidem, ex Optimatibus in paucorum potentiam, è populo in avaritiam magistratûs. potestatem ergo unius improbo, non quòd Principes oderim, sed tyrannos, in quos hæc gubernandi ratio sæpè degenerat. non tam hi premunt hostem, quàm opprimunt subinde civem; aut eundem furorem, quo in hostes detonuerant, amoliuntur in subditos, & ùt ait ille, laurum polluunt sævitiâ, dum fusis hostibus in populares fædâ populatione grassantur. Adhæc solitaria potestas vix naturæ congruit: vel enim ex similibus coalescit Respublica; & sic jus omnibus ad idem regimen: vel ex diversis; & sic non unus inter hos eminet, cùm tamen unus præponatur. Imò nec semper qui eminet, fasces capit. Quare lex potiùs dominetur, quàm unus Civium.

Alexander.

INgenium in omnem circumactum partem in te suspicio, nòn tamen id efficit, ut Principatum unius reprobem, quem te Magistro semel multiplex ad rationis solem expensa ratio ap-

probavit, ſenatûs enim populíque imperium ob certamina potentum & avaritiam Magiſtratuum, ùt tu & veritas aſſerit, eſt ſuſpectū: duorum Principum electio, Civilium eſt bellorum fax & origo, quid plurium? Omnia ergo ad unum referri, pacis intereſt. Unus Sol, unus Princeps. nec duobus ſolibus regi cælum, nec orbis ſumma duo imperia ſalvo terrarum ſtatu poſſunt conſiſtere. Natura commenta eſt Regem in apibus: at hic unus eſt. Elephantorum gregem excelſiſſimus ducit, utique unus. Divinior inſuper hæc gubernandi ratio, quia ſic Deus, quem ex te unum didici, gubernat univerſa. Nec obſtant, quæ in contrarium opponis. nam tyrannis irrumpit, ubi unus omnia ex libidine regit, non ex legibus regni, quas ſuppono. Tyrannidem item dicimus, dominatum unius ad proprium commodum intendentis; at Principi reſpublica curæ eſt, & illud vitium non Principatûs eſt, ſed malignioris ingenij. Nec leges meliùs ſolæ gubernant. nam hæ tantùm in univerſum provident, non de ſingulis, quæ accidunt, jubent.

Ariſtoteles.

BEllè tu quidem de regimine ſolitario, utinam tibi ſic uni dominium orbis contingat, quàm ſolidè imperium unius adſtruis. Sed Phyſices adhuc experimentum placet ſumere. Quid tu ex me de terræ ambitu? de Mundo?

Ale-

Alexander.

UNus eſt, ſed plures cum Democrito vellem, nè in arcto imperem: unum tamen ex te audita evincit ratio. Terræ ambitum meliùs explorabo, dum terras victorijs emetiar.

Ariſtoteles.

SEd en educator Principis Leonides gradum accelerat: cedimus tantiſper, dum grandior Chiron noſtrum Achillem inſtruat.

§. V.

Leonides, Alexander.

Leonides.

NIhil uſquam proficis Alexander, niſi Deos etiam rite colis. morum tibi fruſtrà formator ſum, niſi Divinis etiam mentem imbuo. Dij fovent ingenia, quæ pietas ſimul excolit & doctrina. Princeps es? ut diu & feliciter ſis, Dijs ſupplica. cadunt imperia, quæ religio non fulcit. Ergo Dijs ſacrifica, & thure illos pro Macedonia, pro teipſo placa.

Alexander.

PRæſtò ſum, nec Deos invitus colo, in quorum familiam nos auctor generis noſtri Hercules inſeruit. Abſit etiam hæc cum Divis cognatio; adhuc præter ſangvinem eſt, quod in Dijs colã.

Leonides.

ERgo huc ad aras. en acerra: ei thus ingere, & Deos ritè coluiſti.

Alexandro thus liberaliter ingerente,
Leonides:

TU verò liberaliùs Deos colis, quàm ipsi velint. modico illi thure placantur, & minor illis placet hostia, non tantum gravior hecatombe. Inter Macedones sacrificas, non Sabæos, quorum hæc nativa messis est. tum demum odores prodigaliùs accendes, cùm Arabiam & odorum regna capies triumphator.

Alexander.

AT ego parsimoniam odi, ubi Dijs aliquid dandum est, Magnis colantur Maximi. Probro non vacat, cum parciùs habuisse, cui omnia accepta referas. Refluant in Deos, quæ à Dijs fluxere liberaliter. An amnes velis mari, ex quo occulto meatu scaturiunt, gratiores? olim tibi etiam plenas Sabæâ messe naves transmittam, nunc Dijs tantillum negem? Ignosce ô Leonide, hîc me vix habeas obsequentem. Parciùs agerem, si Leonides essem. Sed liberalitas hæc & Deos addecet & Alexandrum.

Nuntius: Ab Cheronæa Philippus redijt victor, Princeps Max:

Alexander: Quin procurrimus obviàm, & victoris aspectu fruimur?

§, VI.

Philippus, Alexander, Commilitones.

Philippus:

DIdicit tandem Græcia, quem illi æmulum in Ma-

Macedone fata objecerint. Adorare cogitur Macedonum virtutem ultimâ sui ruinâ. Vix unquam Orbis proniùs illam adoravit, quàm Græcia sic cadendo. Utinam pro Patria tam strenuè hostilis egisset rabies, quàm olim pro Helena. Trojam meliùs oppugnare noverat alienam, quàm propugnare suam. Dolis Græciæ quondam, quia virtute nequijt, Troja corruit, ipsa nostris oppressa armis concidit. Thebas sibi in vincendi fiduciam adjunxerat, sed illas par interitus sociavit. Nec illam sua Minerva, neq; has tutelaris Hercules defendit. Erit, cùm insuper Thebarum mænia, quæ ad carmen coaluerant, inter lugubres excidij lessos dissolventur. Si fata conatum præripiant, dem tibi, Alexander, impero. in te habeo, quo vel post fata Thebis noceam & in emortuis cineribus vivere probem odia. Alexandrum relinquam; & hoc ad Thebarum cladem sufficit. nunc sub communi cum Athenis clade ingemiscant.

Commilito. I.

NOs verò & Macedoniam te Rege perbeatam! vix totidem prælia recenset, quot triumphos; ità palmam victrici dexteræ virtus inserit, quocunque arma triumphalia intulisti! Laurum induit, quidquid palpas calcásve. Thessaliæ vix regale vestigium impresseras, cùm hostem oppressisti. Gemit tuo sub jugo Thracia, obscurior futura, nisi suis cladibus, tuis inclaruisset trophæis. Victoris nomen pridem apud

te novitatis nomen omisit. Sic vincere, alijs prodigium, tibi ludus. intentare tibi pugnam, est offerre lauream. Cogis hostem arma ponere, cùm tua extulisti. imò famâ subjugas, quibus manu parcis, securus victoriæ, ubi consciam virtutis aciem explicâsti. deniq; hostium inclinantur acies aut sternuntur, ubi tu insurgis: dum irruis, illæ corruunt: tuæque virtutis mole obruuntur. Sed tamen id unicum de te dixisse sufficiat: filium habes Alexandrum.

Commilito II.

UTrobique tu Magnus, Philippe, domi foríſque. nisi quòd grandior ab Alexandro. Neque hìc te posthabeo: tibi imputa, quidquid in Alexandro æstimatur. Redit ad Auctores gloria, & in majorum decus redundat, quidquid laudum congeritur in nepotes. ominari licet grandia de Magni filio. Ejus tu victorijs prælusisti in Græcia, quas ille immisso in Asiam bello adornabit. Crescit jam in ejus perniciem, & bella continuaturus & trophæa. Ipsa illius indoles mihi non unius præsagium est triumphi: animum etiam nunc gerit dignum, cui Orbis succumbat; nil in illo præter annos puerile: indoles Marti peridonea, ultra ætatem ratio; responsa, quæ à senio vix expectes, animus orbe major, bellorum avidus, triumphi cujusvis non incapax. Martialis gloriæ studium & famæ perennis cupiditas vix terrarum omnium imperio explenda. Id unum ergo de te dixisse sufficiat, Filium

lium habes Alexandrum. Pulchrum tibi victoris nomen, Parentis gloriosius.

Philippus.

DIgnam & ego Orbis fascibus duxi indolem. quam amatis. talis gignendus erat, qui orbem vinceret. Me verò te filio fortunatum Alexander! quòd te regni, quòd trophæorum hæredem relinquam, id mihi ad immortalitatem sufficit. Tibi Græciam, tibi Thessalos Thracásque vici: relinquo tibi imperium, quod ab Amynta non accepi: Macedonia primò fuit, dum regnum caperem; nunc centum & quinquaginta sunt Provinciæ. Auge tuorum gloriam, & tibi parta tuere.

Alexander.

EFficiam ut nec dati te imperij pœniteat, nec me accepti. Modicum tamen est, quod tribuis, nec pro meæ mentis immensitate. Macedonia mihi etiam sic aucta non sufficit, Orbem volo. Græciam mihi das, quam ipse cepissem: Thraciam mihi olim cognatus subegit Hercules. Latiùs ego arma cum votis circumferam; ac ut tuam vitutem Thracia Hebis aureis inscribit fluctibus, sic olim Indus & Ganges in tuas meásque pariter laudes despumabunt. Etiam tuæ obsecundabo gloriæ, dum militabo meæ; non arctiùs imperaturus, quàm mundi immensitas patiatur.

Philippus.

AMo Indolem, Macedonum dignam Solio. Aliud ergo tibi regnum quære, ô fili, quando te Macedonia non capit: i, vince, ac Orbi impera.

Hactenus alterum Dialogiſmi exemplum. Simile acumen in Colloquijs & literis ſectari quandoque licèt, niſi quòd in his gravia ſeriáque ludicris temperare ſit ſolenne.

CAPUT IV.

Quartum non vulgaris Admirabilioris Eloquentiæ Fundamentum.

Mira per Allegoriam & inſigniores Figuras Styli Exornatio.

ADeò Ennodij ſeculo Allegoriæ uſus percrebuerat, ut Tulliana dictio, quæ alienior à frequenti Allegoria, vulgò diceretur ferrum Ciceronis. Aurum ſcilicet illis vel auro quid pretioſius pulchriúſque fuit Allegoria: at multò magis de inſigni Allegoriæ uſu, & Stylo per eam ac inſigniores Figuras exculto id cenſuiſſent.

§. I.

§. I.

Rariora quædam de Allegorico charactere.

PRæmoneo nimiam affectationẽ & tumorem quendam Allegoriæ meritò carpi ab omnibus, qualis illa est Ennodij: Eat nunc, & cothurnatis elationibus Alexandrum jactet antiquitas, cui famæ opulentiam suggerit dos loquentium, & per facundiæ prodigalitatem videtur crescere rebus mendica laudatio. Hoc posito, sit jam de Allegoriæ usu non vulgari.

Documentum I.

POsse Admirabilem Allegoriam esse eruditam, quæ à rebus sumatur ac Personis in Historia vel fabula celeb ioribus, nec vulgari modo accommodatis. Sic illud de Alexandro VII. Romano pontifice, qui à religione voti quemdam absolvit: Est Romæ contra hujusmodi etiam nodos ac vincula gladius Alexandri. Sic de Rege nostro hostium tot pridem Victore: Si Tyro non horruit, contemnet hydram grandior Hercules. Sic de Moschorum Victore, quorum insigne Taurus: Iterum novus Hercules Taurum edomat. &. Sic illud nostri Oratoris de Duce invicto: State admirabundi Heroës, ubi pro avita Majorum Troja contra sui Temporis Dolopes & Achivos alter Sarmatiæ stetit perstitítque Hector; hoc vetere illo felicior fortiórque, quòd astu varium Ulyssem, armis validum

Diomedem à desperata expugnatione in fugam vertit. Breviùs Strada de Belgio: Tot jam decennijs Troja hæc petitur, nec expugnatur.

Allegoria ergo aliqua est erudita: in qua etiam aliud sensu, aliud verbis dicitur, sed verbis proprijs & ex Historica vel Poëtica Eruditione petitis.

Patet id etiam in hisce Rhythmis:

Adriam quisquis horruit,
Et lenem Cydnum cavet;
Telephi hastam metuit,
Ictum qui leti pavet:

Et de cura minimorum:

Hamum si dorso dejicis,
Cyclades parvas time;
Scelus - -
Non statim evadit Gigas,
Sed crescit culparum moles,
Sensimq; fit Sthenelus.

Et in superbum:

Quid cristam Tereu erigis?
Et ales cristam gerit.
Quid jubam celsum surrigis?
Haud Cyllaro par erit.

Documentum II.

ALlegoriæ Synonymæ & Conglobatæ pulcherrimè adornant Orationem. habes exempla cap. primo, ubi de sensibus Synonymis. Sic ad confirmandum illud, quòd rarus sit absq; aliquo nævo seu vitio, Allegoricè elaboratur in Rhythmo.

Nec

Non sinè cortice lignum,
Nec absque lappa seges;
Nec sinè carie tignum,
Nec sinè cæde leges.
Et rosas spinæ asperant,
Tegúntq; nubes solem;
Nimborum claustra reserant
Zephyri, æstus prolem:
Sic nil ex asse gloriam
Vendicat totam sibi.

Sic Pro modestia animi contra fastum:

Tutiùs humi repitur,
Nec lapsum ima timent.
E celso ruitur in præceps,
A telis pax est trifidis,
Nec Iovis pavet facem
Vales, &c.

Documentum III.

ALlegoria non refugit acumen, imò Allegoriæ acutæ pulcherrimè adornant Orationē. Sic de sacro Pnevmate in igne & Spiritu vehementi descendente Ferr: Per flammeas lingvas jucundissimus hic æstus seu Amoris æstas vehitur, vehementi Spiritu commodè ventilatur, ut vitam efficacibus flammis per ventum inspiret. quandoquidem unus potest Divinus Amor ardorem ipse suum eventilare. nisi fortè simul in ignem atq; auram ideò mutetur Amor, ut in Amoris æstu amorem pro aura respiremus. Arsit gelida Septemtrionis ora, nec remotissi-

mum Solem desideravit proximo illustris DEO, quo meliùs incaluit, quàm averso atque avio sole. Arsit torridus mundi tractus & solis imminentis æstum, præ amoris æstate frigere utili experimento intellexit.

Sic & illud de Sanctis: splendidiora hæc,quia infiniti Solis sidera sunt; non hæc splendidè mendacibus fabulis, at debitis cælo virtutibus lucent: non in varias ferarum facies efferata crudeliter rubent, sed ipso Deo, quo felicissimè ardent, beatissimè effulgent. O verè amica sidera,quæ vestrarum magis fulgore virtutum quàm cœlestium luce flammarum Stellatum annum circumvolvitis.

In Poëtam obscænum ex hoc documento illa Allegoria:

Multorum Capitum scripsisti, Pontice, librum:
Cur frontem Tuus hic non habet ergo liber?

Documentum IV.

TAntò Allegoria pulchrior & admirabilior, quantò aptior; in Allegoria enim est quædam tacita Comparatio, at Comparatio sola plausum meretur, quæ concinna, & rebus idonea. Sic Nepoti non degeneranti à Majoribus aptè accommodat Gabriel Cæsarinus Aquilæ Allegoriam, degenerem fœtum ad solares radios explorantis addito Lemmate; Mei non degenerant.

Hinc suavitatem haurit Allegorica illa petitio: Et ego ad pedes munificentiæ Tuæ cum pre-

precibus supplex corruo, ut beatior surgam, & in hac felici ruina ac Majestatis Tuæ umbra, Fortunæ meæ lucem & fastigiũ inveniam. Scio petentium desideria Magnis mentibus gloriæ theatrum sternere, &c.

Ex eadem causa illud de Turca tumido à Polonis victo Allegoricè dictum est pulchrum & admirabile; quia aptum. Orbe terrarum hausto suum completura orbem Luna Turcica videbatur: sed præsto eras, qui coëuntia Europæ dissidijs Lunæ cornua objectu laterum impedires.

Huc illud refer Allegoricum ad tumidos de vaporibus terreis:

Nec vapor tutum altius
Nubibus caput credit,
Solutus æstu tristius
Illacrimatus redit.

Et illud de ebriosis:

Dissolvitur in poculo,
Naufraga vitæ ratis:
Ni caveas hunc scopulum,
Peribis Palinure.

Documentum V.

TAntò pulchrior & admirabilior Allegoria quantò continuata illa Metaphora Eruditionis & acuminis multiplicis capacior est. Hinc illustris admodum Allegoria apud Neotericum de Scytharum Victore Vladislao: ô Cœlestem Vigorem! nam & Stellas post Lunam Othomanicam ducit in triumpho. nisi titionibus

bus insignire malis bustuariumScytharũ Regem; sed stellæ sint, quarum aspectus vel Roma semper exhorruit, cùm utramq; Solis domum teneret. Jam occidere coguntur, vel extingvi cogit Vladislaus; quia Sol est perdere natus astra minora. Nunquam luisset Podolia, nisi aliquando his stellis luxisset: nec ominosius quidquam accidit, quàm erronum hujusmodi cum Luna conjunctio. Sed reperit Atlantem, qui hunc Zodiacum versat. olim perijssent, nisi lucerent alieno: collucere jam soli possent; sed noctem amant. Eja, convolve signa, erratica Planetarum cohors, & si quid monstrorum ibi agnoscit Mathesis, cuncta sub nostri Herculis pedes eant.

Hîc vides quantam admirabilitatem tribuat à stellis ducta Comparatio ob multiplicis acuminis & Eruditionis Mathematicæ, Romànæ, & Poëticæ capacitatem.

Tales Allegoriæ essent de Aquila, Leone, Phœnice, Cælo, Floribus, Igne, Gemma, Mari, Tempestate, Sole, &c. &c.

Ut ergo Allegoriæ lucem addas, si hæc à nomine Appellativo ducatur, Historijs & Eruditione ad nomen hoc pertinente illustretur. Sic in Allegoria Rosæ meminisses fabulæ docentis, Rosas ex humano sangvine propagatas: hinc ruborem traxisse. Item quòd olim, teste Basilio, Spinis Rosa caruerit, scilicet ante Adæ peccatum, vel quòd Indi placare assveverint Dynastas Rosa oblatâ. Et sic de alijs, &c.

Docu-

Documentum VI.

POsse Allegoriam non vulgarem sumi à rebus ad aliquam artem spectantibus vel ab ipsis artibus. Sic à re nautica illud Stradæ; Quoties mota est sacræ religionis anchora, toties fluctuavit Reipublicæ navis.

Sic in Panegyrico Divi Martini ex eo, quòd Cæli suspex dicitur idem Sanctus; Nemo mihi posthac Astrologus, nisi cui cœlos sic libeat contemplari: viam tamen in Cælis non priùs Lacteam reperit, quàm morum innocentiâ in terris expressisset; aliquas in sole; nullas in se passus maculas.

Sic itinera à S. Francisco Xaverio animarum causâ obita cum Motu perpetuo alius comparavit.

Documentum VII.

STylus admirabilis Allegoricus aliquando deflectit ad usum & consvetudinem veterum. Sic illud Servatori Patriæ: Non unam Tibi Civicam, non unam Obsidionalem debet Patria, nisi quòd sic Polonam coronari non sufficit virtutem, quo Romanam.

Sic illud breviùs: Age, libertine, interim Decembri utere. ubi alluditur ad Saturnalium Romanorum dies in Decembri celebratorum: tunc enim servis omnia licebant. Sic etiam illud Poëtæ: - - *dextráque suos jam computat annos*, id est centenarius est: nam veteres usq; ad 100. in sinistra numerabant, à centũ in dextram numero trans-

translato. Item si Phrygem plaga erudit, & te; nè in care facere periculum Fortuna videatur.

Hinc patet etiam Allegoriam non vulgarem ab Adagio seu proverbio desumi posse. Ut & illud de donis suspectis: Munera quibus colitur, equum Sejanum reputat, aut monile Hermiones, vel fatale suis Possessoribus aurum Tolossanum.

Sic stulto Nautæ dictum: Cùm tot maria terrásq; lustraveris, restat ut ad solas naviges Antycyras (ubi helleborum in copia purgando cerebro idoneum.)

Aliquando Allegoriæ hujusmodi maximè in Dialogismis versu ex Poëta desumpto efferuntur: ùt illud ex Juvenale, ubi svadetur suis parcendum esse: Cognatis parcit maculis similis fera - Et sævis inter se convenit ursis.

Documentum VIII.

ALlegoricæ dictionis proprietates ad rem Allegoricè describendam cum delectu accommodandæ, ità ut etiam earum opposita perstringantur; puta, ortui occasum, luci tenebras, malaciæ tempestatem, &c. opponendo. nam ùt noctis umbrarúmque horror diei gratiam, sic opposita lucem allegoriæ intendunt.

Documentum IX.

POsse interdum uni Perido plures inseri Allegorias non inelegantes. sic illud Stradæ: Dum bellis arderet Italia, incendium illud latè dimanavit &c. Et illud de Exercituum Duce alius:

lius: Quis te vel inter immanes Sarmatiæ procellas quas Gotticus turbo excitarat, sereniores Patriæ dies, & quandam restituisse malaciã nesciat, cùm tu non tam equorum, quàm victoriarum cursu, tot spatia decurreres, hoste Parentalem cupressum, te ubique triumphales laureas colligente.

§. I.

Idea Allegoriæ rarioris.

EXempla hujusmodi plura alibi; hìc duo sufficiant. Primum accipe in Allegoria de Christo Patiente ex Ferrario. Allegoria est sub nomine Parricidij. Ad quam mirè Passionis mysteria adaptantur.

Illuxit tandem dies, quæ vitæ Parente impiè perempto, veriùs quam Idus Martiæ cæso Tyranno Cæsare debeat Parricidium nominari. Tam atrox tam insolens Parricidij scelus, non communibus lacrymis, sed præsudato sangvine deplorandum fuit. Osculo filiorum aliquis vulneri prælusit, ut ex facili oris aditu, omnium gravissimè cor paternum vulneraret. Vulnerum jam reliquorum non miror licentiam, dum tantùm osculo in cor liceret. subi jam vincula, prodi te Pater; decet enim post Filij fatale tibi osculum, amplexus vinculorum: neque tui te filij mitiùs tractare norunt quàm vinculis. An & depalmatus gravissimum leviter perferas alapæ ludibrium? nempe Patri alapis blandiri par est Filios Parricidas. Sed imbellis est manus cola-

colaphos infringere; valentiores hic Pater liberos habet, qui ad ſaxeam deligatum columnã, illâ ſanè duriores, alterno fuſtium impetu Patrem in mancipium deforment. Equidem nunc primùm didici Saxeos homines moveri poſſe; quanquam hujuſmodi Saxa nimium animæ habent ad motum, quæ crudelitate animantur. Sed ſatìs jam ſævitum eſt: libet jam cum Patre Filijs tantiſper luſitare. At iſte luſus inter ſpinas aculeum habet. O ingenioſiſſimam Amoris Philoſophiam, quæ non Philoſophum modò Socratem, ſed Deum etiam ſuis cum Filijs docet in arundine repueraſcere! Quia verò Filiorum actio levis arundo eſt; Crux par habens furori pondus inauditum Dei Patricidium peragit, quæ non minùs dedecore illum cruciat quàm dolore. Ubi jam mactatus à Filjs & pro Filijs tumuletur Pater? nuſquam credo decentiùs, quàm in emollitis cordibus Filiorum.

Idea II.

AFfero Dedicationem Theſium Logicarum M. Domino Rylski S. R. M. Secretario. Allegoria ex avita ejus gemina Luna, quam gladius diſcriminat, ſumitur:

Suum jam nomen felici amittit interitu ſolius jacturam paſſa caliginis Logica, dum tuâ non tam noctium, quàm dierum Præſide Lunâ circumfunditur. Geminâ ùt Patriæ, ſic Atticis ingeniorum noctibus, & Academi umbris face præluces, cùm unam Cælum proferat, adeò par-

ciùs

ciùs in Cælis Lunæ proveniunt, quàm in Heroum atrijs; cùm & geminos Cælum nesciat ferre Soles, & Lunas. Nocturnas quidem avitum hoc sidus umbras cornutâ luce impetit, Lunam utrique Solis Domui, utrique hemisphærio eandem destinat, sed diem etiam ingenijs accendit. & orbe nec dum etiam completo (quamvis hæc etiam nunquam coëuntia Lunæ cornua non obstant, ut orbem famâ impleas) plenum melioris præsagij accendit Plenilunium, ut solis induisse ingenium Lunæ hujusmodi videantur. Quid enim illis, ad diurnæ lucis desit copiam, quam Regia Serenitas, hoc est, Lechici Solis radius illis in intimum conclave, ceu in terrestre cælum admissis, affundit? Eclipsin quidem aliæ in Solis vicinia patiuntur Lunæ, sed non tuæ; quibus binarius avitæ Lucis, vires luminum intendit extenditq;: & insuper contra fatales cuivis sideri umbras meliori quàm cælestis Perseus gladio muniuntur, &c.

§. III.

Mira Styli Exornatio per Figuras quasdam.

ILlud hic te moneo, non Figurarum Specialium tantummodo usum à me hoc loco commendari, sed vel maximè usum specialem earundem. quod fiet, si non verbis tantùm inanibus, & grandium sensuum vacuis Orationem concinnes, sed quibus grandior substernatur sententia & non vulgare quidpiam sonans.

Pater

Patet id Primò in plerisq; Pliniani Panegyrici locis.

Talis illa est congeries, Antithesis, similiter cadens, quæ insigniter exornant laudem Trajani à Justitiâ : Quàm mitis severitas? quàm non dissoluta Clementia? non locupletando fisco sedes, nec aliud tibi Sententiæ tuæ pretium, quàm bene judicâsse. Stant ante te litigatores, non de Fortunis suis, sed de sua existimatione soliciti; nec tam verentur, quid de causa sua; quàm quid de moribus sentias: O verè Principis, populos non Imperio magis quàm ratione compescere, intercedere iniquitatibus magistratuum, infectúmq; reddere, quidquid fieri non oportuerit; postremò velocissimi sideris more omnia invisere, audire omnia, & undecunque invocatum statim veluti Numen adesse & assistere!

Illud verò apud eundem exornat non rudis Comparatio & Oratorium incrementum; sed tibi nihil accomodatius ad gloriam quàm penitus inspici. Sunt quidem præclara, quæ in publicum profers, sed non minora, quæ limine tenes. Est magnificum, quòd te ab omni contagione vitiorum reprimis ac revocas, sed magnificentius quòd tuos. Quantò enim magis est arduum alios præstare quam se, tantò laudabilius quòd cùm ipse sis optimus, omnes circa te similes effecisti.

Et illud ejusdem : Veniet ergo tempus, quo posteri visere, visendum tradere minoribus suis gestient, quis sudores tuos campus hauserit?

duæ

quæ refectiones Tuas arbores, quæ Saxa somnum prætexerint? quod conclave langvores Tuos viderit?quod hauserit lacrymas? quod deniq; tectum Magnus Hospes impleverit. At hic iterum congeries, similiter cadens., &c.

Pulchrum & Compar Antithetis permistum, sed antithetis grave subsit acumen, ùt illi: A flagitio Sanctissima, luctúque quàm risu felicior Magdalena.

Profero longius Exemplum de S. Joanne Bapt. Clausis oculis perspicax, Solem ante vidisti, quàm diem cerneres, antè adolevisti ad Sanctimoniam, quàm nascereris ad vitam, &c.

Et de Sanctis Martyribus: Clausistis ora, aperuistis vulnera, vulnere quàm ore eloquentiores.

Et illud: Neque illa Rhetorum probra pensi habemus, qui natam in summo Thrasonum ore facundiam æmulati, de suis rebus inconcinnè, de alienis loquuntur indisertè, pessimè de utrisq; ,tum vel maximè diserti,cùm Eloquentiæ Flumen è calicibus derivant, Nymphis quàm Musis, Libero quàm Tullio, rastris aratorum apriores, quàm rostris Oratorum.

Et illud similiter de Doctis: Videas illos obscuris lucem, notis gratiam, antiquis nitorem, ignorantiæ interitum, exitium erroribus, expedita dubijs responsa afferre: Unicus illis est hostis ignorantia, quam editis à se ingenij monimentis profligant: ruditatem ab hominum mentibus proscribere &c. &c.

Quàm illud illuſtre ab iiſdem verborum luminibus ſeu figuris, Divi Fulgentij de Chriſto nato: Qui portatur ùt parvulus, adoratur ùt Deus: parvulus in præſepio, immenſus in Cælo, vilis in pannis, pretioſus in ſtellis. Venit non ut pugnet vivus; ſed ut triumphet occiſus.

Patet ex his obiter attactis, pluribúſque apud recentiores exemplis, mirum in modum Eloquentiam hujuſmodi ac alijs Figuris exornari, ſi ipſa inſuper Figura ſublimi Sententia vel acumine exornetur.

CAPUT V.

Quintum non vulgaris Eloquentiæ Fundamentum pulcherrimæ Exquiſitæ Deſcriptiones.

PLeriq; hìc non medicorem plauſum captant, dum rem ſuis ad vivum coloribus uſq; ad ingenij oſtentationem & legentium illecebram laborant depingere. Eximius hac in re Gvinifius in Allocutionibus & Strada in Proluſionibus, item acuti R R. præter alios.

SECTIO I.

Primum Genus Admirabilis Deſcriptionis.

DUplicem deſcriptionem ſtatuo; aliam Hiſtorico, aliam Oratoris ſtylo, utramque tamen

men artificio admirabili excultam. hæc non sinè flexu quodam & pompa atq;acumine & affecti-bus describit, quod illa breviter & dilucidè, & aliquo colore Rhetorico.

Primi generis Descriptio apparatum sumit ab Adjunctis rei describendæ, contentis illo versu: Quisquid ubi &c. Eadem Ornamentū sumit & admirabilitatem ab Hypotyposi accurata: Item à concinna rerum congerie, distributione, comparatione, Isocolis, similiter cadentibus, eruditione obiter inspersa, aliisq; verborum luminibus & vivâ Adjunctorum descriptione. Juvat subinde Descriptionem maximè Historicam condire quæsito accessu, vel ex visceribus rei eruto, ùt in Prima Descriptione videre licet, vel à loco communi, seu documento in gnomen concinnam redacto, quod ex Historia eruitur; ùt in Descriptione quarta patet.

§. Unicus,

Descriptiones Primi Generis.

Prima.

Descriptio Cæli Terrestris apud Cosroëm.

IN Persidem vos & stylum transfero, quò me vel fictile Cosrois Regis Cælum rapit. Admi-rabile artis portentum, quod melior quantum-vis in Barbaria condidit Archimedes, tantò Solidiore gloria, quantò fragilior machinæ argilla, Crystallum id erat, in quo tota Cælorum immensitas, solis sidetúmq; cursus, Lunæ vices laboresq;, æternæ micantium Stellarum conversio-

nes. Cæli altioris speciem miro artificio exhibeant. Aderant machinæ, è quibus vis aquarum erumperet, quæ modò subirent in imbres, modò rigescerent in grandines, modò tumescerent in fluctus, modò præcipitarentur in torrentes: tum verò aër nunc serenus blandâ velut Etesiarum amænitate ridebat, nunc nubibus obducebatur, nunc furebat procellis, nunc micabat fulguribus, nunc minaci fulminum terrore omnia confundebat: Rex ipse velut terrestris Jupiter in medio collocatus ad nutum compositos cursus recursúsque Stellarum contemplabatur, pluebat, tonabat, fulminabat, permiscebat omnia. Viluêre Cæli ostenta, Cælo sic oculis subjecto, &c.

Secunda.

Admirabilis Descriptio veris ex Nazianzeno.

AMœna omnino hæc nec indigna Divi calamo Descriptio; quam Figuræ Rhetoricæ & Partium enumeratio venusta nobilitat: Vide qualia sint quæ oculis offeruntur, quales Regina temporum inducit pompas, quales scenas explicat omnis amœnitatis stipata Satellitio. Nunc cælum splendidiùs intermicat, nunc sol sublimior magísque aureus, nunc Lunæ orbis clarior; purior Siderum chorus; nunc & fluctus cum littoribus, & stirpes cum oculis in gratiam redeunt: nunc fontes manant liquidiùs, limpidiùs fluunt: nunc flumina hibernis exuta compagibus, vinculis

culis soluta liberiùs latiúsq; diffunduntur: nunc prata collucent floribus, arbores gemmis turgent, detonsi nitent herbarum tori: nunc & hortus svaviter olet, & planta pulchriùs viret, & per virentes agros agni lasciviunt: Nunc navis cum celeusmate è portu solvit, velorum alas explicat, per gyrum assultant Delphines, & tranquillo mari nautas comitantes deducunt: nunc suum resumit opus agricola, vomerem sulco imprimit, jam avis nidum construit & svaviùs modulatur, calamos auceps instruit, & ad aucupium ramos designat, plumásque avium ad insidias eleganti artificio contexit: Jam apis laboriosa explicatis pinnulis ex alveari emicat, jam prata pervolvat, jam flores populatur, castra cerea concinniùs elaborat & alternos implicat angiportus. &c.

Tertia.

Descriptio Elegantuli tumidi.

ADverte quòd Descriptio si fiat à partium enumeratione, admirabiliùs instituatur, si non omnes partes simili contextu & congerie proponantur, ùt in secunda Descriptione ex Nazianzeno; sed varietatem quandam in describendis partibus consecteris, novámque styli elegantiam. Patet id in hac Descriptione Eleganduli, quam subjicio ex Causino:

Quæ illa frontis exporrectæ serenitas? quæ svavitas oculorum? quæ dignitas oris? quæ renidentis ad singula vultus amænitas? quot in fa-

cie veneres! quot in ore Gratiæ, in genis rosæ? quot roseis labellis insident Sirenulæ! ut illi digitos magnæ lucentésque incendunt gemmæ! quarum pondera æstivo tempore ferre vix potest, quia annulos

- - *ventilet (ac) æstivum digitis sudantibus aurum.* quid quòd comam habeat scitissimè rotundatam, madentes cincinnorum fimbrias! quacunq; pergit, pullulare rosas, fluere opoballsama, ungventa olere diceres. atq; cùm talis sit, quid mirum, siùt Pavo conchatis caudæ voluminibus, & versicolore plumarum amictu superbiens seipsum circumspicit, cervicem rotat, gradum frangit, nunc tenero & molli incessu eundem suspendit, magis de sui capitis decore solicitus, quàm salute, utpotè qui mallet Remp. publicam turbari quàm comam, & comptior esse, quàm honestior.

Quarta.

Descriptio cujusdam Adolescentis evanidæ formæ.

DIxi initio hujus Sectionis concinniùs Historicam Descriptionem fieri per accessum quæsitum à documento in Sententias redacto, quod Historiæ contextus indicat: In cursu verò Descriptionis admisceri obiter possunt opportuni affectus. Patet id in hoc Exemplo:

Sæpiùs mora detegit, quam sub fucato mentientis Cerussæ vel illudentis minij colore depe-rijmus venustatem. Momento forma corporis de-

deformatur, nec fragile id bonum ulla temporum mora solidat, quin de illa sensim decerpat plurimum, & vitrum hoc in emortale saxum illidat. nempè quod Poëta cecinit.

Mendax forma bonum deficientibus
Annis præcipitat, vitrea concuti,
- - Cerea diffluere
Hornæ more rosæ, quam modo roscidum
Dum fovit tepidis manè Favonijs,
Dissolvit pluvijs vesper Etesijs.

Vidimus hac ætate juvenem, cujus si genus inquiras, in Ducum originem ceris majorum & natalibus influxit: si oris gratiam, Ganymedem alterum, aut Damoclem jurasses, vel Paridem. At cùm hinc excedendum est, nullus est eximius: neque ille juvenum formosissimus cæcum furorem mortis tam liberali & luculento vultu à se abstinuit. Hic nempè induciarum locus nullus est. Venit ergo ad extrema in ipso ætatis flore, & dum nasceretur hæc rosa, consenuit. Floruit, sed flos fuit ille caducus, neque plus, ultra florum tempus morémque vixit viruítque. Inciderat fortè morbi vis vehementior, cui sæpè in spolium forma cessit, ergo ille jam tremere, jam pallere, jam formæ, jam vitæ plurimùm timere, breve rosarum ver incusare. Diversa plorant, precantur multa, feliciores ni talem genuissent Parentes, illud tamen vel maximè, ut posteris sui vultûs vel sic exhausti & pallescentis effigiẽ velit non invidere; depingi se permitteret, si possit ars imitari naturæ penicillum.

Verùm nec precibus nec lacrymis quidquam dedit, surdus ad illas æger, ùt olim Agesilaus ad similes. Hoc solùm annuit, ut postquam plusculos dies humi delituisset, eam quam tunc reperissent formam penicillo excipi ac exprimi curarent. Ergo extinctum terræ inhumant, certósque dies, uti dixerat, operiuntur: tandem urnam aperiunt, sed heu, quàm fœdè mutatum reperiunt! macellum dixisses, unde esurientes colubri opsonium sumerent. Horrent illi ceu ad revelatam Persei Parmam, & velut lapideo frigore obrigescunt, &c.

SECTIO II.

Descriptionum secundum Genus.

ALter modus Descriptionum admirabilior & longè ab Historico proximè indicato dissitus, floridæ & ingeniosæ Narrationi plurimùm deserviens; Hic verò modus in eo consistit, ut adhibitis liberaliùs Oratorum coloribus etiam primo genere Descriptionum indicatis, sensus illi admirabiles, acuti, ac eruditi, de quibus capitibus 1. 2. 3. actum, inspergantur; ac insuper insigniores affectus, de quibus brevi.

§. Unicus.

Descriptiones secundi Generis.

HOc genere Descriptionis scribuntur nunc Panegyrici Divis & Viris illustribus. Eodem

dem genere ſcribuntur Elogia ijſdem uti & vituperia. Dabo tantùm aliqua talis Deſcriptionis exempla.

Prima Admirabilis Deſcriptio

Prodigij facti à Divo Antonio Patavino.

HAbet Italia ſuum, habet & Ægyptus Antonium, niſi quòd hic inter virgulta nemorum ac in umbra, ille in urbium theatro verſatus prodijt in Solem. Iterum ille vetera Manlij trophæa renovat, panes in hoſtium capita è Capitolio jaculantis. Prodierat hoſtis non jam Antonio ſed Deo ipſi gravis, fabuloſa Gigantum prælia in Hiſtoriam mutaturus; hoſtis planè in ſacram altaris hoſtiam injurius, nil tale in Deum auſurus niſi in latentem. Sed latere inibi tantum Hoſpitem veſana haud potuit cenſere incredulitas, quaſi non perinde poſſit latere Deus in pane, ac Sol in nube, vel animus in corpore. Fregit tumidum hoſtem munitus Cibo Fortium Antonius, etſi non arietem illi admoverit oppugnando, ſed Aſinum; fregit, dum injurium in abditum Numen jumenti magiſterio pervicit, in eſcaria lance proponens Deum, ut haberet momentum non leve librata fides. Grande profectò ſpectaculum! Pugnator Aſinus, hoſtis Perfidia, Triumphator Deus. Rurſum agnitus à jumentis Deus renaſci viſus, ut fidem pararet & triumphum! Dorſuarium animal cæteris firmum oneribus, ſuccubuit inolito ponderi Majeſtatis, &c.

Secunda Admirabilis Descriptio.

Virtutis Casimirianæ.

REgiam, Casimire, Purpuram non alius Tibi tinxit quàm verecundiæ color, aut flagellis excussus cruor. Noctu quoque dum sacrã ædem reviseres, conscia Tuæ pietatis fecisti sidera, consciam sed non sinè metu Lunam, quæ cùm Te pro suorum incolumitate in preces vidit effusum, Othomanicis expalluit in signis. At Regalis purpura solito magis erubuit, cùm vidrt à Te sibi præferri candorem. Nunquam Tu fuisti sanior, quàm dum æger propositam pro pharmaco Venerem reputâsti venenum; præferens impuris facibus Tuum rogum, geniali toro lectum funebrẽ, regni solio tumulum, Veneri Libitinam.

Par illa Descriptio virtutis Divi Hyacinthi: Fecisti Hyacinthe vera virtutis pulchritudine deformem de altero Hyacintho fabulam, quem de Ajacis sangvine natum credidit Poësis. Deus ipse Tibi cruentus & asper comparâsti, cùm durum capiti lapidem subjiceres, quo efflotuisti si non molliùs, certè pulchriùs. Nullæ in Te inscriptæ fuerant flebiles notæ, nisi morientis Dei. Sed illo imprimis expalluit natura prodigio, cùm Vandalum sinè navigio trajiceres. ausa non est aqua perdere pulcherrimum florem, neque ex Hyacintho facere Narcissum.

Ter-

Tertia Acuta Deſcriptio,

Tempeſtatis D. Xaverio immiſſæ & ab eodem ſedatæ.

AT ecce infidum mare, quod ſuas Tibi opes obtulit, jam ſurripit Tuas, dum violentior procella tranquillitatis obſidem, Chriſti, Tuo magis animo, quàm Cruci affixi hærentíſque effigiem refigit ac ſorbet. Tunc enimverò uterque naufragium feciſtis: merſus eſt Amor Tuus fluctibus maris, tu doloris. Condona tamen, condona Xaveri, piam Oceano rapinam: ſuum ille Imperatorem ut officioſo tantiſper complexu colorer, prædatricem in Te procellam innocenter immiſit. Proſpice jam è littore, ù ad Te Tua gaudia enatent: Vide ùt breviſſimæ venerationis officio perfunctus ille, ac lætâ malaciâ Tibi arridens, per tenacem portitorem Cancrum Tuos amores ac delicias remittat. Quis Te marine Cancer ſideribus digniſſimum non affirmet, qui Solem revexeris?

Deſcriptio Claudij Cæſaris, ex qua patet, quomodo unus etiam eventus Deſcriptionem exornet, dum acutè exaggeratur: Væ Tibi Roma ab hoc ferali monſtro! Bene in ſua Claudius latuiſſet latebra, non in ſolio emineret, eò ferior, quò felicior, meliórque ſpeluncæ incola quàm ſceptri bajulus. Imperij quidem lucem ante fugerat in latebras, & ſe feram veriùs quàm hominem ferino damnarat carcere; ſed inde neſcio quo Imperij fato protractus didicit

in purpura ferocire. Patuit illum è lustris ferarum emersisse; dum, qui sic eum vivere coëgerat, mori adigeret. Vixit in Imperio ùt fera, spelæo dignior quàm solio.

Quarta Descriptio Acuta
Ignei Eliæ ejusq́ gestorum.

QUâ Te celsitudine sermonis exæquem, quem ardua virtus in Cælum curru extulit ab humo prodigiosè sublimem? Supra naturam credi poteras, qui naturæ jura posuisti: Jussisti? Cælum transijt in æreum, aliud imperâsti? fecisti cereum. Nihil tristius videre mortales, quàm serenatum à Te triennio Cælum: nunquam tanta mæroris nubes offusa est, quàm cùm semper irent clari & sinè nube dies. Exaruit aër? demaduerunt oculi, impijs non eripuisti solem, ut per famem eriperes lucis usuram. At verò tum primum exhilarâsti terram, cùm triste ac pluvium fecisti Cælum; siccâsti lacrimas, cùm fudisti aquas. Quod si in impios exarsisti, statim concitatus ad Imperium Tuum aër aut exundavit in imbres, aut exarsit in flammas. Sed quantus Tu dicendus es, quem dum tellus non satis caperet, immensus excepit æther! Nempè nil Tibi commune cum pulvere, qui fuisti etiam immunis à cinere; eo vel Sole, quem ipso refers nomine, illustrior, quòd non occideris.

Quin-

Quinta Deſcriptio Acuta.

Davidis Regis brevior.

E Caula revocatus ad aulam, conjunxiſti plectra cum ſceptris; etiam cùm paſtoritiam inflares arundinem digna calamo gerens. Fortis tunc non clavâ ſed manu præluſiſti majoribus bellis pugnando cum belluis. Quàm altè poſthac Tua Te virtus extulit, quæ ſuperior fuit Gigante. Cùm illum funda Tua funderet, feciſti hoſtis occaſum, renaſcenti Patriæ natalem &c. Acrior Tibi ſuperfuit pugna cum Filio, quem triplex haſta reperit excordem.

Sexta Deſcriptio inſignis Pompæ,

Cum qua Corpus S. Chryſoſtomi Conſtantinopolim eſt inductum,

ex Cauſino.

O Fortunata mors, quæ triumphorum fuit principium! Ferebatur pretioſum pignus totius urbis vel humeris vel ſtudijs, & tot illi erant ſepulchra,quot hominum pectora: quamquam nullum ei ſepulchrum fuit, cui certa ſemper fuit immortalitas Redibat ab exilio tanquam ex virtutis ſuæ theatro pænè adhuc vivus & ſpirans. nondum enim extinctus videbatur oculorum ardor, nondum attrita frontis gravitas, nondum lingva Cælo altior planè conticuerat: totus erat etiam in mortuo Chryſoſto-

mus. Quæ antea loca exulem, sine lacrymis videre non poterant, eadem ingenti fœnore lætitiæ videbant triumphantem. quacunque sacræ inferebantur exuviæ, hic inundantium populorum multitudo, hic incredibiles plausus mortuo, hic svavissimæ carminum modulationes, hic renidentes florum elegantiæ, exquisitissimi odores: Flaminis omnia collucere, quasi Cœlum suis distinctum sideribus, in terras defluxisset; dies & noctes non tam suis ardere luminibus, quàm frequentiâ cereorum: oppleri viæ, omnes uno agmine obviàm sese effundere, Procerum globus vultu cultúque ornatissimus emicare; non sexus, non valetudo quenquam retardare, ægri etiam ad hoc spectaculum, ut ad salutis portum, deferri; satis se vixisse existimabat, qui hujusmodi mortuum viderat. Imperatorem ipsum dignitas non tenuit, quem religio incitavit, quin sacrum Antitistem religiosis exceptum manibus, suo ferret navigio. O felix navigium! non egebat remis, quod favor Numinis impellebat. Vidisses in ipso aditu Urbis muros exultantes, gestientes domos, confertissimos pompis vicos, tecta ipsa laborantia & ridentem Civitatis faciem, &c.

Ex allatis exemplis patet, quantus sit splendor Descriptionis, quæ initio §. præscriptis præceptionibus insistit. vide etiam Descriptionem direptæ ædis Lauretanæ in Gvinisij Allocutione Tertia.

CA-

Caput VI.

Sextum Admirabilioris Eloquentiæ Fundamentum Affectus Admirabiles.

NIhil Oratore admirabilius, ubi affectuum seu habenas laxat seu restringit Hic ille imperat: hic triumphat. si leni affectu aures permulceat: & feræ mansvescerent; si detonet severiùs, classicum cani putes, vel (quorum Satellitio cincta fuisse dicitur Attica Demosthenis & Periclis Eloquentia) fulgura & tonitrua reformides. Citharædum Erici II. Daniæ Regis, si è nuntia vetustatis nosti Historia, eloquentem in eo adumbratum credas: ubi primum is inusitatæ severitatis concentum edidit, stupore quodam & mærore omnium animos oppressit: ubi svaves ac mellitos effudit cantus, omnes jactatione corporis, intemperantem testati lætitiam; ubi acrioribus modulis insonare cœpit, continuò totis tectis fremere, tumultuari, arma & gladij passim inclamari; Rex effractis atrij foribus, arrepto ense in obvios promiscuè bacchari ac sævire. Par est vis Eloquentiæ affectibus instructæ Aut certè ùt illud assentatorum genus apud Juvenalem ab alijs, quorum gratiam venatur, colorem ducit, sic auditor ab Oratore; nisi quòd ab hoc veriùs similes affectus in se transferat Auditor, quàm assentatrix plebecula, quæ si - - - - rides, majore cachinno

Con-

Concutitur: flet si lacrymas conspexit amici; Nec dolet: igniculum brumæ. quòd tempore poscas, Accipit Endromidem: si dixeris Æstuo; sudat.

Veriùs ab Oratoris affectibus vultum theatra sumunt, & cum plaudentibus plaudunt, collacrymantur lacrymantibus; sæviunt, si Oratio ferociat.

§. I.

Affectuum admirabiliùs ciendorum ratio seu Modus.

PRædoceo Affectus esse duplices, Ethicos & Patheticos; Illi sunt lenes, comes, jucundi motúmque animo imprimunt moderatum: hi vehementiores ùt procella, incensi ùt fulmen, incitati ùt torrens erumpunt, ac fermè circa odium, iram, metum, invidiam, miserationem versantur.

Primò ergo ad motus animorum juvat viva rerum Descriptio seu hypotyposis & Enumeratio partium colore orationis quæsito temperata. Sic Aristides Urbis Smyrnensis restaurationem Antonio Imperatori svadens misere urbis fatum ob oculos ponens dicit: Jacet Smyrna ornamentum olim Asiæ, Tui decus Imperij. Mox expositis ejus ornamentis subinfert: Hæc omnia sunt in cinere; clausus est portus ille; perierunt fori ornamenta, collapsa gymnasia: jucundissima Urbs luctuosum facta spectaculum, ruinarum & cadaverum tumulus. Olim floruit; nunc

verò desolatam perflant Zephyri. Ad quas voces Imperator illacrymatus.

Secundò. Valent ad incendendos animos Figuræ, sententiæ graviores & rotundiùs propositæ, mora in lenibus, excitatio & concisi breviter tornati sensus in acribus. Spectant huc Acclamationes, Detestationes, Diræ, Apostrophæ lenes vel acres, Conversiones, querimoniæ, aptæ Personarũ sermocinationes, Exempla Comparata. Modum sic incendendi animos per exempla deductum infra subjiciam.

Tertiò. Oriuntur affectus ex Personis & eorum adjunctis, quod etiam Poëtis solenne. Sic affectus ille ab ætate deducitur 6. Æneidos:

Heu miserande puer, si quæ fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores, animámque nepotis
His saltèm accumulem donis & fungar inani
Munere.

A loco & tempore etiam affectus sumitur, ùt apud Virgilium:

O nimiùm cælo & pelago confise sereno,
Nudus in ignota, Palinure, jacebis arena!

A modo rei gestæ tum Oratoribus tum Poëtis affectum ducere solenne est. quem modum mirè exornat Comparatio seu simile. Talis affectus est in Sarbievio:

- Occidis Occidis,
Erneste ceu quondam procellis
Exanimes cecidere Nardi,
Ceu dum per hortos cærulea manu

De-

Desævit udus Jupiter, imbribus
Sterni reluctantes acanthi
Lassa solo posuêre colla.

Similis affectus ille 8. Æneidos:

Volvitur Euryalus letho, pulchrósque per artus
It cruor, inq; humeros cervix collapsa recumbit,
Purpureos veluti cùm Flos succisus aratro
Langvescit moriens, lassóque papavera collo
Demisere caput.

A bonis fortunæ & corporis auctis vel amissis affectus elegans cieri potest. sic de obitu Isabellæ:

Ergo peris auguste nitor, soliique voluptas,
Cui tumido Ganges amne reclinis ijt!
Sic niveum cervicis ebur, sic lactea colli
Fluxit hyems. viva sic periere rosa!
Os illud quod terna Charis Sirenq; regebat,
Officio lingva dispereunte tacet!
Dulcia quas nuper poscebant basia malas,
His putris sanies, & gravis horror inest!
En ut in offusas bustis mortalibus umbras,
Desijt Hesperij lux Isabella throni!

Illud hoc loco nota ex Tullio: Fieri non potest ut doceat, ut oderit, ut ad fletum deducatur is qui audit, nisi omnes ei motus in ipso Oratore impressi atq; inusti videantur. Rectè enim Seneca: A faciente discendum quid faciendum sit.

Quartò. Affectuum admirabilitatem efficit aut auget verborum & sententiarum energia: item sensus grandes & profundi figuris oratoriè substrati.

Quintò

Quintò In affectibus ciendis Stylus concisior pressiórque locum habet; nam longa verbositas alicubi extingvit potiùs affectum, quàm fovet, qui citiùs quàm ad finem pnevmatica decurrat periodus, intepescit. Nempè animus loquitur, dum affectus cies: at is momento quod concipit, effundit, aliáque oris est, alia mentis eloquentia.

Harum omnium Præceptionum Exempla hæc accipe.

§. II.

Ideæ affectuum lenium, juxta doctrinam Superioris §.

I. Idea.

MAteria affectuum sit minimus ille Cimmeriorum Regis filius, qui dum inter fratres de Regni successore post obitum Parentis non conveniret, metam ab Ariopharne Thraciæ Rege, quem arbitrum elegerant, propositam simúlque regnum repudiavit. In meta Thrax arbiter Parentem eorum demortuum ac è tumulo protractum collocari jusserat, ei Regnum deferendum edicens, qui ad cor Parentis sagittâ collimasset. Placuit meta duobus majoribus natu Filijs, unusq; illorum Parentis brachium, alter pectus telo perstrinxit. Recusat minimus & metã & Regnum: affectus ejus jam audi:

Bene habet ô Princeps, metam nobis Ariopharnes proposuit, quam vix nota Busiridis imm-

mani-

manitas unquam ſtatueret. In meta nobis Parens, in votis ſolium! Regnum in corde quærimus, & per Paternum pectus ſceptra prenſamus, ac inſignia regni per ferociam tam inſignem. Etiam nos ferro ſcrutamur viſcera, dubij credo an ferrea ſint, quæ tales in lucem effuderint! Præiviſtis minimo, Magni Principes, ſed ſequi ſic præeuntes pudet pigétque: Pietas vetat! Feliciores putaſſem, ſi metam hujuſmodi ſagitta declinaſſet, aut nervus manúſque detrectâſſet obſequium; Feciſtis hodie, quod nè barbaria quidem uſpiam fecerit! Reges eſſe placuit & ſimul Parricidas! induere Purpuram & exuere pietatem! ſævire libuit in mortuum, cui vitam Regno potiorem debemus! Eheu Parens Auguſte! Nec in ſolio Tibi felicem eſſe diu licuit, nec in tumulo! ibi hoſtium telis appetitus es, hic filiorum, felicior ſi tam fæcundus non fuiſſes. Tacet in meta tuum extincti corpus, & purpura placet ubi luctum imperant ferales exuviæ! Steriſti medius, ut noſtram regnandi ſortem decerneres; ſteriſti, ut per Tua vulnera Filiorum aſſurgeret ambitio. Scilicet Regalis Purpura non ſatis rubet, niſi Paterno ſangvine imbuatur! Sed egóne in Te genitor arma capeſſam? hæc manus jaculum in Te contorqueat? Paternum cor feriam, ut ſceptra feram? an Regem eſſe non licet quia ſimul & Tyrannum? at pietatis jura prohibent, ſi ſvadeat ambitio. Si tam infame iter ducit ad ſolium, auguſtius eſt non regnare. Non mihi

mihi tanti ſunt vel Regni opes vel Cimmeriorum regimen, ut exuam Filium, dum induam Regem. Coronam non exambio, ſi per cor Parentis petenda ſit, nec regalem trabeam, ſi per ſangvinem. Quale id mihi Regnum, quod ſic Paternum vulnus funeſtat? Pudeat Purpuræ, quæ hoc cruore rubuit: Pigeat ſceptri, quod è Paternis viſceribus ferali ſagittâ eruitur. Fabula ſit, quòd Amori Poëſis jacula tribuat: meum in Te, Parens optime, ſic, ùt arbiter jubet, pharetratum Amorem eſſe nolim, qui ſi adhuc cæcus creditur, vel in cimmerijs tenebris tantam ſceleris immanitatem luculentiſſimè videt. Filius non ſum, ſi cor Parentis ferio: neq; Rex, ſi ſic impero. Procul quidem à me Regnum, ſed ſimul impietas. En ut etiam ipſe nervus trepidat! ipſe ad tantum facinus Arcus intremit! ipſa excidunt tela, quin ipſa etiam manus obrigeſcit! Utinam aliter litem hanc de Imperio, Magne Arbiter, terminaſſes! Pro meta Parentem Filijs ſtatuiſti; nollem etiam mancipijs crudelem ſanè metam, & quæ nec Thracem deceat! Abſit tamen, ut me tam ferum videas, quàm ferum eſſe voluiſti. Focum Scævolæ manus hæc priùs ſentiat, quàm in Parentem irruat, aut inſurgat. Solo Tyranni nomine diſcrepat, quiſquis Parentem ferit, ut imperet. At ego Rex eſſe velim, non Tyrannus. Quod ſi non aliter imperandum eſt, privatus malo vivere Filius, quàm Rex ſimul & Parricida.

Idea

Idea II.

Oratio Manlij à Parente securi addi-ꝺti, quòd ejus injussu pugnaverit viceritque.

ERgóne manus etiam triumphales ad infamem deligabuntur palum? Caput hoc ultricem virtutis securim excipiet? feram vincula, qui ex hoste tuli spolia? At quâ causâ? quòd vicerim? victoribus ergo ignavi feliciores & pulchriùs fuerit non vicisse? Præclarè sanè facta fortia rependuntur, quibus par reponis præmium, ac facinorosis supplicium! O fata Imperij nostri misera! ubi jam & virtutes plectuntur! At contra edictum Consulis pugnavi! Non piget sic pugnasse, ubi victoria delictum satis expiat. Si quod in præliantem redundat dedecus, major in victoris facinore latet gloria. Adhæc infringi auctoritatem Imperij doles, non etiam jura pietatis? hanc expungis, & retinere laboras disciplinam? Non Ducem Te solum & Consulem, sed & Parentem cogita. Times nè non disciplinæ amans videare, non item nè crudelis? aut nè crimini sua desint supplicia, non item nè rectè factis præmia? Itáne corruet disciplina Filio non occiso, hoste victo? quid si corruat fortitudo? quid si alacritas juvenum? Mitto, quòd edictum tuleras, ut pugnare prohibueris, non vincere: vetueras pugnam, sed sinè comite victoria: quis enim certus victoriæ, pugnam vel prohibeat, vel detrectet? Periculum à te edictum

ctum extorſerat; illud cùm hìc abſuerit, quæ fuerit noxa vel vincere, vel pugnare? ſed ſi Parens ità Filij mortem amas; ſi vincere non licuit, quin & vivere; En jugulum; habes paratū mori pectus, non ità vincere didici, ut mori extimeſcam! occumbere mihi probrum non fuerit, dum Victor moriar: amitto vitam, ſed non gloriam. Perime, lictor, Victorem Manliū, Manlij famam non extingves. Tu jam cadentis Filij ultimas voces audi & æternùm vale.

Idea III.

Deploratio exciſæ Hieroſolymæ ex Theſauro.

O Solymæ! ô adyta! ò læti colles Sionis! Hæccine illa beata urbium Mater, quam pœnè æternam Cælum ſpoponderat? Quid ergo diuturnum, ſi æterna pereunt; cecidit, cecidit ſuperba Regia, jam nihil niſi fumus & funus! O fumum ſemper aulæ moleſtum! Quo redijt excelſa templi moles, Angelorum colonia, cæli pomærium! Evertitur mortali manu Divinus ille lapis, eodémq; elemento profanatur ſanctuarium, quo luſtrabatur! ubi vaſa, ubi ſacra, ubi fontes? ignavi fontes & naturæ obliti, ignē non extingvunt, quem culpa ſuccēndit. ubi menſa, ubi ara? ubi lampas æterni ſolis æmula? jam nihil eſt, niſi lampas una totum templum. Quas iteratura preces inibis infelix turba? altiora votis incendia ſunt. cui ſupplices feretis palmas lin-

ceati senes? abiere Angeli templi Indigetes: postremò exusta Domo abijt Deus incola! ô avida Ignis potentia! quam nobis Patriam linquet, qui exulem fecit Deum? Quo congestæ opes? quo exoticæ merces? quo armillæ? incumbit spolijs hujusmodi deprædator ignis &c.

Idea IV.

Pulcher Affectus Christo morienti Compatientis.

DOrmis jam somnum Tuum, vigiliam nostram: Victorem tot cruciatuum effundis Animum, quem nobis infundas! concludis diem ultimum, ut nobis dies æternus oriatur! Innixus manuum pedúmque vulneribus, ubi conquiescas, non habes, nisi vel incumbas in vepres, vel declines in vulnera! Itáne verò, svavissime Vir Dolorum, ità decuit restaurari mundum, ut teipsum illo ætatis, illo vitæ flore destrui patereris? aut non erat vita, quam dares, nisi præripi vitã tibi sineres? Novum profectò salutis genus! ut orbis vivat, orbis vita perimitur, & hoc funere funus omnium speciosius effertur!

§. III.

Affectus Pathetici & vehementes.

AD Affectus vehementes spectant Objurgationes, & Invectivæ, exprobrationes, & Oratio furoris minarúmque plena, aut aliquid ferale & Tragicum spirans. Affectuum hujusmodi Ideam dedit Demosthenes, cujus Oratio fulguribus,

ribus, & coruscationibus plena, ipse etiam bellum in lingva gerere videbatur. Dedit eorundem Ideam Tullius, in Catilinam, in Verrem, in Antonium, in Vatinium insigniter debacchatus. Atrocium & feralium Affectuū plenissimus est Seneca Tragædus. Medeam evolve, insanientem ferociter perhorrescès: lege furentem Herculem, disces & ipse furere.

I. Idea hujusmodi affectuum sit in Dialogismo Manlij Dictatoris cum Filio, quem suprà attuli.

II. Sit Invectiva illa in Judæ facinus;

Bene est, non vulnere, sed osculo excipitur. ô facinus ab ipsa humanitate barbarum! crudelissimam & dignam proditore Clementiam! Nimis noveras ex Amoris castris, barbare transfuga, nullis graviùs Amorem armis vulnerari posse, quàm suis. Superi te perdant Divinitatis venditor, emptor suspendij, qui & Divinitatem hastæ subjeceris, dum præconis impurissimi voce publicatur sestertio Venalis Deus! Pluris sæpè venijt jumenti mortui, quàm Dei viventis Caput per te veneat! Fecialis tu omnium fæderum ruptor, audes inter amicos osculorum anhelitus, odij venena despumare, & à signo pacis bellum exordiri? Salutare non erubescis, quem salvum esse nolis? prodis amoris pignore benevolentiam? pacis instrumento Pacis Principem? sed mihi crede, osculum incuria fœneratus es, mox laqueo redimendum.

Par ille affectus in Christi nefarium percussorem;

forem; Quid agis impie verbero? Sic Arcam illā tangis, ut violes? non audis innocentiam vel tacentem? Et tamen ut audires, aurem tibi aptaverat ille, quam Petrus præciderat. Sic gregariorum ingratiſſime redditâ etiam auriculâ, ad voces benevolentiæ obſurdeſcis? adeò in ipſa pudoris Regia, tua, imò improbitatis manus fit impudens? ô planè ſiniſtrum dextræ ſic plaudentis obſequium! ô ſiniſtram nefarij percuſſoris dexteram! nimirum apud ſerviles ac venales animos beneficium ſeritur, contumelia meti ſolet.

Item: O quidquid in Cælo fulminum lentū atq; otioſum es, propera, prohibe hoc humano majus, uno dignum Herode ſcelus.

CAPUT VII.

Septimum Admirabilioris Eloquentiæ Fundamentum, Amplificationis uſus ſingularis.

AMplificatio communis eſt Oratoribus, ſed in Oratore noſtro neceſſe eſt, ut ſit ſingularis.

Amplificationē ego duplicem ſtatuo, in qua eminere debeat Orator non vulgaris, Alia eſt Amplificatio brevior ſeu Dilatatio Sententiæ intra periodum: alia longior; id eſt, Dilatatio argumenti vel in tota Oratione vel eſt per ſe amplum, vel exſuccum & arctius. In utroq; hoc te inſtruet Caput.

§. I.

§. I.

Amplificatio brevior non vulgaris.

BReviorem intelligo quæ fit, cùm ſententia in una periodo, vel paulo pluribus dilatatur. Utriuſque modos afferam ac Exempla.

Fiet hæc Primò.

PEr Periphraſim eruditam: Sic illæ tres dictiones, Ovenus impurus Poëta, amplificatur: Exeat è vatum numero ille quantumvis inter Caſtalios hauſtus, caſtioris venæ rudis omninò Vates, melius de Nymphis ac lenonibus, quàm de Muſis meritus. myrto proinde, non Apollinis lauro coronandus, ideóque ſolùm pulcher, quòd in eo tot Veneres, ideò apud alios ingenioſi Capitis laudem meritus, quòd frontem pœnè amiſerit, totus effrons; dignus qui Tomitano vati hìc non impar, ijſdem quibus paginã inceſſavit pedibus in Ponticam ſolitudinem deportaretur, ut inter Scythicas nives multum calere dediſceret, & Ponticis frigoribus calentem impurè ac impunè entheum temperaret.

Fiet Secundò.

PEr Periphraſim Oratorio ambitu liberaliùs circumductam: Sic illa Sarbievij Sententia dilatatur, Is auro nempè bibat cui dulce ferrum eſt. Faceſſant imbelles animæ, quibus genus in cenſum abijt, nec virtus in pretio, & cùm nullam domi, nullam in hoſtico gloriam collegerint, adhuc tamen auro fulgent, nitent purpurâ, quæ

pro illorum ignavia erubescat. Non hos ego sceptris, non hos fascibus admoverim, non illis auream melioris Fortunæ venam aperuerim, qui nec domi consilio, nec foris manu strenui, nec domi Curios, nec militiæ referant Camillos; illos potiùs, quorum toties armis secura, tuta periculis Patria è cruento illo gloriæ Martísque Lechici theatro tot Victrices collegit laureas, suo sæpè, hostili sæpiùs sangvine irrigatas: his ego divitem domi Pactolum, his aureos non infelicis adhuc hujus Arabiæ sinus totis alveis infuderim. Fudere sangvinem? meritò patrius ad illos Ganges divite venâ refluat, & laurũ sequatur aurum: par equidem est, ut strenuas ferro manus cariores exornent manubiæ: par ut oppressum clypeo pectus aureum vellus induat, & insomnes vigilias pretiosum Darij cervical reponat, nè sola rectè factis merces sit rectè factorum conscientia.

Fiet Tertiò.

PEr Periphrasim Sensibus Admirabilibus nec obvijs, idem tamen significantibus exornatam. Sic aliquot hæc verba: Liberalis fuit in miseros, dilatantur: Nullas ille reperit angustias, quas non maximis largitionibus dilatâsset; nunquam sibi visus beatior quàm cùm plurimos de suo felices redderet; novam ergo alijs cum Sole oriri Fortunam, occidere calamitatem imperat; negligere opes, nisi quas erogaret: plura appetere quò dare plura posset; nunquam miserorum erga-

gastula invisere, quin ea simul Insulam efficeret Fortunatam; nihil insuper in sua æstimare Fortuna, quàm quòd prodesse deberet miseris, felicibus posset: denique quidquid Fortuna eripere potuisset, id lucrum virtutis facere, solo gloriæ censu ad illum redundante.

Similiter illud: Bonus fuit inter malos juvenes, amplificatur: Jam tunc ille inter æquales non æquis passibus ad animi lucra properare, quibus illi ad interitum ruebant præcipites: jam virtutes in se ceu in theatro, aut earum compendio circumferre; succrescens corpusculum, non alijs pænè quàm ingentium virtutum augmentis dilatare, nihil unquam puerile præter ætatem præferre, Cælitúmque mores usque ad ipsam vultûs similitudinem exprimere, cùm interea in coætaneis in vitæ oblectamenta effusis palmaria semper regnarent vitia, ût ferè illa ætas post tincturam voluptatis ægre alium bibit colorem.

Fiet Quartò.

PEr brevem Comparationem à simili deductam. Sic illud dilatatur: Militum virtus præmijs excitatur: Crederes imbrem aureum fortium esse præmia, solidum virtutis bellicæ nutrimentum. Erigitur hâc aureâ tempestate ac in immensum crescit etiam collapsa bellantium virtus; solidatur, ubi aureâ Cælum Patrium pluit grandine, & pretiosâ hâc in castris detonuit procellâ.

Idem breviùs aliter: virtutis in publicum emersuræ adyta, facilè aureâ reſerantur clave, adeóque muneris, ac præſtitæ mercedis ratio mentes hâc velut aureâ virtutis eſcâ pertrahit, velut aureâ cote acuit, &c.

Similiter illud dilatatur, Nolo congredi cum impari: Langvet abſque pari æmulo virtus: Illa mihi laurus non indecora, quæ de nobili hoſte decerpitur; nec valles petunt fulmina, nec leo in agnum irruit, nec viro proſtrata imbellis infantia laurum parit.

Fiet Quintò.

PEr brevem Comparationem Eruditam: ſic de fortiter adverſa tolerante: Hos ille inter Fortunæ ictus ſtat velut Marpeſia cautes, Capitoliíque immobile ſaxum. Item: Nubilum Tonantémque Patrem illæsâ ſerenitate excipiens, meritò credi poterat altitudine mentis Olympum excedere, utpotè celſior, quàm ut ad eum doloris tela pertingerent: imò vibrata ab illo Jove fulmina tantum in eum potuêre, quantum aut mucro Stellati Orionis contra ſolem, aut contra Perſei ſcutum atrocior aſpectus.

Similiter illud: Judices corruptionibus obnoxij: Non ſola Græcia argenteis Philippi haſtis patuit, & aureus effecit Macedonis aſellus, ubi bellico ariete nil profectum: etiam juratæ æquitati pectora hæc ſæpiùs pulſavit proſtravítque machina.

Similiter illud, Præmijs miles capitur: Recte au-

aureum credas esse præmia, quo citra Timothei somnium veriùs victoriæ, quia & militum animi capiuntur. Non unus credo reperiretur Lisimachus, si suum haberet Alexandrum, qui decoras pro Patria cicatrices, auro obstrueret, vulnera coronaret.

- - - - Sic Juvenalis:

Palluit, ut nudus pressit qui calcibus angvem,
Vel Lugdunensem Rhetor dictus ad aram.

Fiet Sextò.

PEr congeriem Plurium Similium, seu per sensus Synonymos eósque vel Eruditos vel non. Sic illud, Prodest quod nocet; dilatatur: Non sola felices reddit felicitas, sed acerbis etiam svavia, noxia salubribus permiscentur. Latent plerumq; in adversis solatia, & nubes hæ solem tegunt: nucleus latet in putamine, rosæ sub spinis, sub cortice lignum, in vili concha leguntur margaritæ, in montium venis aurum tegitur, in Thersite viget illustris animus: marini fluctus naves hauriunt, sed ijdem fundunt uniones &c.

Sic & illi Rhythmi de minimis non temerendis: *At parva molem subruunt: Et apis stylo necat. Remora iter obstruunt, dum prora Pontum secat. Scintillis flammam Ilij, Surculis debes hortum. Parvis immanes fluvij scatebris debent ortum.*

Fiet Septimò.

PEr congeriem Eruditionũ loco vocabuli ali-

cujus universalis & generici, ad quod illæ Eruditiones & exempla obiter memorata referuntur velut species. Sic illud dictum: Superat hoc opus omnia mirabilia in orbe opera; in particulari hæc exponendo dilatatur: Cave huic operi componas Ægypti Pyramides arte pretióq; certantes; Colossum solis Rhodium situ & mole admirabilem, Phariæ turris lumina dignum Ptolomæo Rege opus; Ephesinæ Dianæ Templum, muros Babylonis, Mausoli Sepulchrum, simulacrum Jovis à Phidia in cælos eductum, Cosrois regiam, Minoi Labyrinthum, auream Neronis domum, Amphitheatrum Pompeji, Apellis Alexandrum, uvas Zeuxidis, Parrhasij linteũ, Doriphori statuam. Coam Venerem Praxitelis, Minervæ clypeum, incisa soleæ Lapitarum cum Centauris prælia, aliáque sexcenta orbis & artis portenta.

Similiter illud dilatatur: Delicata fercula velles. Somnias tu cum Vitellio nescio quæ attagenum jecinora, phasianorum cerebella, Muranarum lactes, Numidicas volucres, Arabicam alitem; patinam Vitellij, luxum Heliogabali, gemmas Cleopatræ, Neronis convivia &c.

Similiter illud Rhythmicum de ingenti cruciatu Purgatorij:

Finge Procustæ lectulum
Aut catastam Perilli;
Nec cassis comam ignea,
Nec liquor plumbi potus,
Nec vis morborum anea,

Vel

Vel ardor Ætnæ totus,
Non Phalaris aut Siculæ
Torsit Tyrannus oræ,
Vbi piantur maculæ,
Foco vel levis moræ.

Item Parva non temnenda Eruditionibus conglobatis effer: Quis sibi à minimis non reformidet, cùm audit in Hispania suffossum à cuniculis oppidum, à talpis in Tessalia, à ranis in Gallia, à locustis in Affrica: à muribus pulsos Megarenses, Phaselitas à vespis fugatos, Gymnesios contra imbelles lepusculos opem à Romanis flagitasse?

Fiet Octavò.

PEr explicationem subjecti & Prædicati in Propositione contenti. Sic illud dilatatur: Pluvia terræ utilis & necessaria: ver imbrium fœcundum & solutæ in pluviam nubes, agros fecundant, exhilarant hortos, pratis amænitatem, floribus luxuriem, arbustis gratiam, fructuúmque copiam reddunt & nitorem. Emoritur hortorum gratia & in Zonam torridam mutantur omnia, nisi ros ille Cæli ardores temperet, & effusæ nubibus procellæ terræ viscera humectent? amœna nequit esse tellus ridente perpetim Sole; tunc primùm amœniore vultu arridere solita, dum cælum in lacrymas solvi, in lacrymas se cœpit effundere; denique esurire cogitur agricola, dum agri sitiunt, nec cœlitùs irrorantur.

Fiet Nonò.

PEr evolutionem ac explicationem quandam partium alicujus vocabuli in Propositione contenti. Sic istud dilatatur: Vox Musicè artificiosa, Principio constans auctoritatis vestigium inaffectata vox imprimit, adeóque gravem miniméque vacillantem glomerat, & metitur gradum, ut omnem planè speciem gloriámque negligere, nec sese in incessu circumspicere, ritu sibi plaudentium videatur: mox ubi genius ille vocalis incaluit, sensímque in artem incidit artificij fuga, hìc etiam concidere minutim sonos, & canora velut in puncta distingvere, pluribúsque momentis & minimis maxima eorum tempora compensare: hìc argutiores & bellè cadentes ad numerum Charites, velut artis appendices ultimas, & quosdam quasi cincinnulos concinnare: hìc ductum celerrimè spiritum librare veluti pennis & in sublime promittere, mox aut ad ima devolvere, aut retrorsum à medio cursu reprehendere, deorsum impellere, ante expectatum premere, sistere, revocare, circumagere, velut turbinem adversare, ut non ore sed torno vibratum rotundatúmque crederes; hìc dexteritate blandissimâ dulcedinis satietati consulere, hic improvisâ demissione vocem introrsum flectere, & surdâ quâdam titillatione provehere; hìc exultantem cantûs hilaritatem fractis identidem numeris, & quadam mœroris specie temperare; denique so-

sonum illidere, implicare, explicare, suspendere, variare, producere, suspirijs, trepidatione, modulatione, concentu, planè, graviter, acutè, & sexcentis modis nobilitare facultatem suam.

Sic & illud: Aves varié canunt & animalia vocem variant: ubi singulis avibus vox propria & animalibus attribuitur: Vere adultiori audias pipire passeres, plausitare palumbes, tinnināre paros, merulas svaviter concinere, mitilare acredulas, trutilare turdos, sturnos pisitare, gratitare anseres, grues gruere, gemere turtures, tretinnire anates, drensare cygnos, pipare accipitres, lipire milvos, cucurrire gallos, gracillare gallinas, pupillare pavones, trinsare turundines, clangere aquilas, pulpare vultures, crocitare corvos, graculos frigulare, glotorare ciconias, cuculare cuculos, cicadas fritinnire, bombillare apes, bubones bubulare, stridere vespertiliones, cubire putiones, cucubare noctuas, ululare ululas, meropes zinzilulare, psittacos humanas voces imitari, philomelam per mille discrimina vocem flectere: Ad hæc audias rancare Tygrides, rurgire Leones, felire pardos, orcare lynces, ursos uncare, apros frendere, barrire elephantos, rudere asinos, cervos & onagros glocitare, mugire tauros, quiritare verres, blaterare arietes, balare oves, mutire hircos, gannire vulpeculas, glaucitare catulos, vagire lepores, dintiire mustelas, grillare grillos, disticare sorices, coaxare ranas.

Fiet Decimò.

PEr raras Definitiones conglobatas. Sic vox, Lilium, dilatatur: Flos ille terræ ornamentum, plantarum gloria, oculus florum, pratorum gemma, sidus hortorum, pulchritudo svaviter eminentibus radijs eminens. Sic Strada procerum hominem describit: Quem ob immanem corporis molem de Geryonaceo genere aut Enceladi Typhoeive sobolem seu centum geminum Briareum credidistis, hominis, inquam hyperbolem, vespertinam umbram, Rhodium colossum, Gigantomachiæ colophonem, unam ex Herculis columnis, cui inscribi possit, non plus ultra &c.

Fiet Undecimò.

PEr Opposita vel quasi Opposita Synonyma. Sic illud dilatatur: E milite fit præsul. Ab armis ad aras transijt, non cruore jam hostium, sed sanctioribus hostijs litaturus; classico antè assvetus ac lituis, nunc vocaliori in laudes Numinis harmoniæ, laureas triumphales in mitiores Oleas, galeam in infulam, gladium & hastilia in Honorarium Præsulis scipionem, chlamydem in Sacram Purpuram permutavit. Etiam hic

Succedunt vittæ lituis, hastilibus aræ.

Huc illud etiam refertur: Adversis virtus erigitur, adversis alitur, in equuleo proficit, in nervo roboratur, canit in fidiculis, triumphat in catasta. Prospera Tibi ad votum fluunt? retrò

trò ſæpè refluit virtus, meliùs virtutem adverſa conſolidant.

Fiet Duodecimò.

PEr Adjunctorum & variarum Circumſtantiarum conglobationem. Sic illud: Familia Sapieharum fortis & honorata, dilatatur, à Circumſtantia nominis, Semmatum, Dignitatum. Nec Tu à Martia Sapieharum gente degener, quæ Leones generat, nunquam cervos; quam & Sagitta gentilitia Marti conſecrat, & adjunctum eidem vitale ſignum immortalis gloriæ ac laureæ ſecuram reddit, ſi non hoc ipſo æternitatis ſecura, quòd æternitatis pronubem minorem annulum illi merita detulerint poſt honorarium Anteambulonis Regij Scipionem, quo ſuam Patriæq; gloriam ſuſtentarat.

Fiet Decimò tertiò.

PEr ingenioſiores conceptus plures ad eandem Propoſitionem illuſtrandam conglobatos. Sic illud dilatatur: Magnum eſt quòd Te laudet ſummus Pontifex. Tantus es, ut ſeptemtrionem cum meridie Tui nominis Famâ conjungas. Amplius Elogium nè quære, quàm dum Tibi exornando ſanctiorē Roma Tullium providit. Securus es gloriæ, quam Petri clavibus commiſiſti: patent illi gloriæ Immortalis adyta, cui claviger hic recludit. Equidem nulli unquam pulchriùs laus conſignari potuit, quàm Tibi annulo Piſcatoris, quæ perennare poterit, Petræ illi fortiſſimæ ſemel inciſa &c.

Similiter hinc ducitur Dilatatio illa acuta Juglaris de Christi sudore sangvineo: Exegit à quavis corporis parte tributum avarus dolor; nulli sudorem vel lacrymas condonavit. aliter flere Christum non decuit, qui totus oculus est. An oblatus de cælo calix venenum propinat, quo propius admoto sudat nobilis gemma? certè oriens noster cùm ità vespere rubuit, pollicetri sibi mundus poterat cras Serenum.

Fiet Decimò quartò.

SI utamur simul pluribus aliquot modis ex modò recensitis, eósque in una propositione dilatanda conjungamus. Patet id in dilatatione hujus Sententiæ: Honores mutant mores, quæ sic amplificatur. Non semel mitem aliàs Purpura efferavit, aut pejorem fecit, quem dignitas malum reperit. Sic plerisque Imperium pro crimine, Fortuna est pro scelere; hæc umbra soles hujusmodi, hoc fasces satellitium comitatur. Nec gratior illis subinde Purpura quàm quæ plurimùm rubet humano sangvine; nec solium augustius, quàm quod per depressa civium Capita conscenditur; nec sceptrum potius, quàm quod plura præ Tarquinij virgula non jam papaverum, sed innocentum colla decussit. Adeò honorariæ secures sæpè virtuti excidium minitantur, & Regum felicitas raró pristinæ probitatis constantiâ solidatur, vix illius gustu relicto; postquam Regale pomum, aureus videlicet virtutis fructus obtigit. Primum, nè dicam

cam, unicum ſpectavit Roma Titum, qui accepto Imperio melior, animum ferorem exuit, cùm Purpuram induiſſet: ſed plures in ſolio vitia didicere Licentiâ magiſtrâ, quæ in Fortunæ faſtigio poſitos in ſcelerum quoddam baratrum præcipitat, & cum Diademate prætéritæ ſortis ac virtutis oblivionem imprimit. Quamdiu nocturnæ vel nativæ regnant tenebræ, Sol hic infra terras deprimit; ubi effulſerit clarior, alienæ lucis excludit conſortia, & minora extingvit ſidera, veluti Sol non foret, niſi interdiu ſolus luceret.

§. II.

Amplificatio longior.

QUæ hìc dicentur, ſervient ad argumentum etiam ex ſe minùs amplum dilatandum. Aliquot modos afferam. Illud moneo: nè ſuâ admirabilitate uſus modorum hujuſmodi careat, debet præſuppoſitis jam Eloquentiæ Admirabilis Fundamentis inſiſtere, & ingenioſiùs quiſque modus pertractari.

Primus Modus.

Argumentum reddendi amplum.

FAcilis & ingenioſus à Circumſtantijs & Adjunctis rerum, locorum, temporum, Perſonarum, idque vel à pluribus ſimul circumſtantijs, vel ab una tantùm, hanc diutiùs expendendo, ac per acumen varium ac Eruditionem, ſi res ferat, eam librando: plures autem mirè innectendo ad propoſitum. Exem-

Exemplum accipe in hac Oratione, quæ poterit trahi in Gratulationem novi Anni. Hujus Propositio : (Annus hic nascitur) sumit acutam amplificationem tum ab Adjunctis Festorum Natalis & Circumcisionis Christi Domini ; tum Anni præcedentis &c,

Natalis novi Anni.

IN lucem, imò tenebras nuper prodijt Deus Infans, & sanè opportuniùs Sol oritur, ubi lucis, quæ tenebras profliget, premit inopia. Post D E I crepundia & annis pænè vagire ac inter V E R B I fascias coarctari libuit. An enim sic adstringi annorum spatia detrectent, cùm æternitas verbi temporum cunabulis angustatur ? Ergo natalibus destinatum tempus nova venustat fæcunditas, cùm & Deum in carne proferat, (nam extra carnem ante annos gignitur, quem tota parit æternitas) & anno insuper gerat se obstetricem Dei quidem svavior Infantia, sed anni nonnihil amœnior; quòd Naralem Numinis temerarint lacrymæ, anni crepundia communis plausus excipit, Genethliacon illi orbis instruit; ut illud prætercam quòd Anni fascias tingat Purpura, quam V E R I cruor imbuit ; nec aliud illi in Horoscopum potiùs contingat sidus, quàm Sol Deus in ulnas virginis declinans inter bonorum præsagia, etsi hodie pluat sangvine. nam hæc teneri Amoris pluvia beatæ sementis pabulum est; & quidquid malorum supererat, extinctus proximè Annus secum pariter traxit,

dum

dum rueret. Funus ejuſdem peractum circa noctis meridiem, ùt ille ait: cùm vitam producere ultra natales alterius haud liceret. Satìs tamen habes encomij, quòd vitam inſpiraverit nato in carne Verbo, in agone meritò gloriatus ſe vitam dediſſe vitæ Auctori, quam ab anni funere ordiatur. Sed en melior ex quodam annoſi cadaveris buſto erumpit Phœnix, & ab interitu occasúque unius, ortus ac vita emergit alterius. Oritur & ille nuper exorto Sole puriores hauſturus radios ab hoc terreſtri quàm à Cæleſti traxiſſet. At quidquid illi acceſſit luminum, Tuis M.D. ùt augurari licet, accedit commodis. Neſcit enim mutuatæ lucis parſimoniā cœpta illuſtriùs Anni revolutio, quin radios ſpargat in commune. Quodſi nec una Tibi conſtanti ſerenitate luxit, hæc ſaltèm fauſtis comprecatoribus, quas per repetita ſæpiùs vota quibus ſua vis ineſt, cumulatiſſimè augeo, poterit ſtabiliri.

Secundus Modus.

PEr variam Eruditionem & multiplex acumen (quod res poſtulat) dilatatur Argumentum non vulgariter. Argumentum ſit dilatandum, Currens moneta in Polonia; de qua ſic conqueri poſſis:

Præclarum ſanè fecimus quæſtum, dùm ab ipſo triobolaris monetæ cenſu inopiam auri imò jacturam duximus! Meritò hodiéque Creta vel Corynthus, ſed deterior credi poſſit Polonia,

nia, cui æris ſit tam abundè, auri argentíq; propè nihil. Non Sola tribunos coluit ærarios vetus Roma; etiam hic, ubi ſcilicet æs triumphat. Æneum repentè offulſit ſeculum, ubi fulgebat aureum, ære ſolido obrigeſcit. Olim gemmis riguóque illi cælum auro depluit, nunc ærea tantùm detonat tempeſtas, Ità vix æs civitate donavimus, aurum cogitur exulare, adeóque jam non auri ſacra fames, ſed æris profana cruciat. Neſcio quis Æneas in orbem æneam ætatem revocat, verúmque ac ſui nominis indicit ærarium? Novum aliquis Perillus vitulum ex ære conflavit, quo Poloniam torqueret. Sed vereor nè ipſe parem Perillo pœnam toleret,

- - doceátq; ſuum mugire invencum.

Par prodigio, niſi te Aquilo noſter devoveat, quiſquis aureo Patriam ſeculo exuiſti; per te cælati ſignatíque argenti, per te facti, infectíque auri copia ſublata: Tibi uni ſuum nomen debet ærarium, Tibi, Gange Lechico rigata ſæpiùs exterorum gaza, tibi inducta regno melioris metalli pauperies debetur. Nimium ſanè pretium æri feciſti, cui vel argentei Leones, vel Imperiales in argento Aquilæ cedere coguntur, non jam aureus oppugnat ærarium Patriæ aſellus &c.

Sic & in pellitum Sarmatam amplè luditur ex eodem fonte: Ades perſonata vulpecula, cujus exuvias in dorſum, non tamen ingenium in animum tranſtuliſti. Tua friget gloria, quantumvis corpus à pellibus incaleſcat, cum feren-

dis Cæli injurijs imparem ac imbellem te probet hæc mollior armatura. Penulâ contra pluviam, pellibus contra brumam pectus obarmas, nè ſuus novo ſcilicet Ajaci deſit clypeus. Pridem jam Sparta corruiſſet, ſi tale pro muro pectus haberet. Sic tibi novum militiæ genus auſpicanti, non urbium tantùm mœnia ſed & rigorem hyemis placet ariete expugnare. Alcidem te dixerim, niſi Leonis illum, Te imbellis vulpeculæ ornarent exuviæ: vel certè Atlantem, qui ſub meliori hoc quantumvis Zodiaco, (quem ſolius Arietis ſignum occupat) deſudas, adeóque efficis, ut novo rerum ordine Sol in Ariete plusquam unius menſis moram patiatur. Dixerim non immeritò, O te præclarum ovium, præclarum arietum cuſtodem, &c.

Tertius Modus.

PEr reductionem Argumenti ad Propoſitionem Univerſalem, non vulgarem nec vulgariter propoſitam, vel ad locum communem; quæ univerſalis Propoſitio per ſimilia vel cauſas vel exempla elucidetur. Exemplum accipe in laude cujuſdam Herois Honorum eximij contemptoris, quos tamen non effugit, eo quòd honor fugaces ſequatur: Quæ laus ſic Communi loco dilatatur:

Acriter contra te honor inſtitit, palmaris injuriæ memor, quam illi proculcatis baſilicæ ſortis inſignibus intuliſti. Ægrè habuit tuo ſub calce gemere depreſſa pulcherrimo faſtu ambitio, to-

tam-

támque in sui vindicias Romam impulit. Novit nempè ludibrium expertus sese vindicare Honor, novit reos eximij ausûs plectere usitato au-ctoris fortunæ supplicio. Sæpè quidem regali tæniâ immeritum innectit caput, sæpè aurato vellere immeritum pectus induit; Sed in trabeatos, è solio fortunæ transfugas totis irruit honorum copijs, toto vel post fata invelat munerum apparatu. Unicus illi hostis, sacri profaníque ambitûs fuga: huic uni Cyro compedes designat argenteas, ut velut in nervum abeat rara virtus: huic Velut cessuræ sub ictum victimæ coronas destinat, huic honorarias intentat secures. Nec usquam in irritum cessere honoris se vindicantis minæ; citiùs compedes induere, quas solerti virtutis ingenio declinabant. Latere lynceum quæsitorem nequijt insolens virtus, quæ dum latebras prensat, in Solem incurrit, Raró non in purpura illustrem fugam erubuere modestiores animæ: raró fatales profugo fasces, hoc est, talium reorum insignia vitavere.

Quartus Modus.

PEr exaggerationem rei vel eventûs alicujus, non sine inspersis sensibus Admirabilibus de quibus Cap. 1.

Sic Nuntius Cannensis Cladis victoriam Annibalis Carthaginensibus exaggerat:

Bene habet, Carthaginenses. Annibal effractis Alpibus Romæ jam Punicum intentat jugum: fregit acies, quas ad Aufidum & Cannas Ro-

Roma effuderat, crevítq; ignobili vico nobilitas conſcio tantæ cladis & triumphi. Fluxit & Aufidus aliquandiu cruentus ſangvine Romano decolor. Sic occidat corruátve, quiſquis infeſta Carthagini ſigna inferet. Non inferet jam Roma, aut ſi inferat, habet adhuc à quibus iterum vinci poſſit. Diſcat non contemnendam aciem, quam caviſſe oportuit, nec vires minùs Punicas, quàm ingenium eſſe metuendum. Oppoſuit illi Carthago Ducem, quo luculenter didicit, Romanas vires fortunæ ludibria pati poſſe. gemit ergo ſub armis Africæ, obſcurior futura, ni noſtris inclaruiſſet triumphis; clades numerat, ubi victoriam arrogantiùs ſomniarat: truncos ſuorum artus colligit, ubi aurum legere attentarat. Effuderat ſe in Campum, ſed ut ultimò funderetur: numerum attulerat, non parem æmulo Duci virtutem: tanto ſcilicet apparatu ivit ad immenſam cladem, ignara Carthaginem virtute bella gerere, quæ numero non computat; niſi in hoſte cæſo. Numerat nunc, ſi numerari deleta poſſunt, quot ei Pœnus reliquerit ſuperſtites cladi ſuæ &c.

Sic item Scipio Africanus amplificat Cladem Cannenſem: Ducem me, Commilitones, adoptavit Roma, eo tempore, quo & ignavus nolit vincere, & magnanimus non ſperet. Ducis titulo me non invitus evolverem, niſi piaculum ducerem, ruenti Patriæ vel negare ſubſidia, vel ejuſdem imperia detrectare. Accepit hodie vulnus Italia, cui vix ætas poſthuma medeatur. Fe-

cit

cit Annibal, quantum nec Amilcar Romæ semper obliquus, nec Carthago ab eo fieri voluisset. Nec altiùs victoris Gentium populi antè Fortuna assurgere, nec sub Annibale magis potuit pessum ire. Adeò nec summa Imperia extra Fortunæ ictum! Erubuit ad rei indignitatem antè Thrasymenus, nunc Aufidus, postquā nostro cruore diu decolor, palustres inter vortices scuta virûm galeásque cæpit volvere. Credéntne posteri conflatum ad Cannas tantum Romæ dedecus! duos Romanorum cæsos exercitus, donec Annibal militi diceret; Parce ferro &c.

Quintus Modus.

PEr Digressionem. faciunt hanc sæpè & Historici, qui crebris de situ locorum ac Regionum avocamentis à propositoHistoriam laxant. Faciunt & Oratores, tum in Panegyricis, dum à laude alicujus, quem potissimùm laudare intendunt, in prolixas avorum, consangvineorum ejusdem laudes digrediuntur: tum per evagationem ad locum communiorem virtutis, vitij, mortis, doctrinæ, rerum humanarum vicissitudinis, omisso interim argumento. etsi id referri possit ad Primum modum. Primi generis Digressio plurimùm conducit ad ampliorem Panegyrim, maximè cùm pauca sunt dilaudanda in eo cui Panegyrim adornas. Secundi generis Digressio facilis, sed gravibus Sententijs admirabilior reddenda.

Sic

Sic cujuſdam ad exteros ſtudiorum ¦causâ profecti laus amplificatur: Is domi tantùm lateat, qui foris Patriam obſcuraret: Domo pedem non efferant, quorum & res anguſta domi, nec animus, orbe major. Sed anguſtum eſt magnis mentibus Cælum Patrium. Solum vertere magnorum eſt cultura animorum. Sit verè alijs exterorum oras viſere probroſum, tibi ſemper ſplendidum &c.

Sextus Modus.

PEr Exempla, Sententias auctorum, ſed non obvio contextu; quem ſcilicet & rarior Tranſitio, & ingenioſa Elocutio admiratione non deſtituat.

Sic dilatatur laus Matheſeos: Vix ullum in Orbe ingenium hæc non afflavit ſcientia; etiam coronata Regum, Auguſta Imperatorum exambivit. Carolum V. adhuc Europa celebrat, qui triumphales manus ab inſtrumentis gloriæ ad erudita pòſt traduxit molimina, in ſacro illo otio, quod orbis Imperio evolutus delegerat, unam quæ ex Mathematicis hauriri poteſt, in conclave admittens voluptatem. Celebrat adhuc & Maximilianum Auſtria, cui nomini immenſitas haud ſuffecerat, quin eam factis ultra menſuram nominis extenderet auguſtus Geometra, augeret teleſcopijs Imperij Archimedes. Præfuetas longè antè huic & Carolo, Adriane, qui latentibus in Matheſi ſvaviarijs, poſt imperiale pomũ nov⁹ in Purpura Tantalus inhiaſti. Adeò & Impe-

ria-

riales Aquilæ suam indolem ad solem cum A- stronomis explorare, altitudini metam defigere in Altimetria duxere non incongruum. Sed neque Occidens hac luce non illuxit. Hispaniam veneror, cui oriens etiam paret lucétque. adeò Cælum illa suo coërcuit Imperio; & adhuc occasum gloriæ timet suo in Occidente, nisi novus illi extra Indias, intelligentiæ Sol oriatur. Hesperus quidem illorum est, quem Matemathica retulit in Planetas, sed totum insuper Cælum, Cantabriæ Astronomi ad se trahunt. vivit adhuc suis in tabulis(quas Alphonsinas vocitamus)Hispaniæ Rex Alphonsus &c. Tacebo Philippum Hispaniæ, Philibertū Sabaudiæ Principes, quia illos Fama non tacet; Principes se non putarunt, nisi ùt in Solio, sic in Mathesi eminerent; nec alia illis insignia cariora, quàm quæ in Zodiaco signa præluxere. An verò & Cælites hæc afflavit gloria? Ibi vel maximè regnant Astrologi &c. Aliud Exemplum habes in Chria in illud: Is auro nempè bibat &c.

Septimus, Octavus, Nonus Modus.

Dilatationis Oratoriæ tum per Syllogismum tripartitum vel quinque partitum (ubi Major & Ratio majoris, minor & Ratio minoris præter Conclusionem dilatantur) tum per Expolitionem Oratoriam, quæ constat Propositione, Ratione ejusdem, item Ratione rationis, præterea ejusdem confirmatione ab exemplo, vel simili, vel testimonio, & Conclusione: tum per

par-

partes Chriæ: puta per cauſam, Contrarium, ſimile, Exemplum, Teſtimonium. Hi certè modi rem ampliſſimè diducunt, ut conſideranti patebit: tum denique per Locos intrinſecos Oratorum præter enumeratos, ùt obvia declarant Exempla, quæ alij afferunt. hìc quia non vacat multa adferre, do ſaltèm unicum.

Dilatatio per Expolitionem Oratoriam.

Sit illa Sententia dilatanda: vita Principum cenſura eſt obnoxia:

SI fortaſſe illius vita extra oculorum, ſi vitia extra lingvæ ictum; at non Principis. Alijs avitæ natalium umbræ noctem ceu ſiparium effuderint, quod eorum probris ſit obtentui; ſolam Principum ſortem ab ea latendi fiducia, gloriosior diſcrevit origo. An enim ullus ſit latebræ locus? an cenſoriam Ariſtarchi virgulam evadant, fallant intentos terrenæ luci oculos ij, quos in Sole ac velut in Fortunæ aprico poſitos perpetuam orbe Ariſtarcho ſcenam agere, naſcendi felicitas aut eligentium ſuffragia voluere? Facilè oculis illabuntur, quæ non intra humiles abſtruſa valles natura occuluit, ſed in conſpicuo defixis, ergaſtulo & latebrâ interdixit. Hinc ùt pleraque argutè, ità illud videtur de Principe par oraculo ſenſiſſe Trajani Orator, dum vitam Principis perpetuam morum cenſuram aſſeruit. At neque à togato Latij Sapiente illa ſcripto diſſimulata veritas, quo judice, Prin-

cipi non aliter ac Soli latere contingit. Nempè ùt Principem astrorum Solem nativa radiorum prodit Serenitas ; ità Regiæ dignitatis fulgor suâ se luce à tenebris vindicat ; ut quidquid Princeps in Regia molitur, erumpat facilè in apertum, facilè in vulgus emanet. Frustra est cum sua gemma Gyges, cujus probra non ità celavit annulus, ut omnium ætatum notitiam effugerint. Adeò dolosus est Fortunæ calculus, qui acta Principum gravissimæ vulgi arbitrantis ac ætatum subijcit censuræ! Atomum non effugit vel tanta felicitas &c. nec ità subditas gentes Imperio coërcet, ut mentes etiam & lingvas.

Decimus Modus.

Amplificationis instituendæ per descriptionem exactam ejus rei, quæ in Argumentum cadit. v. g. atrox prælium, quod nox Sola diremerit, ampliùs narraturus prælij descriptionem afferres ex Causino : In lato patentiùs Campo instruitur acies ; hinc glomerati inter se pedites addensantur, pes pedi, Vir Viro, clypeus clypeo consertus adhæret : illinc alarum vice explicantur equites cristarum umbris opacati : unus est omnium ardor, scintillant oculi, spirat in vultu furor Martius, fiduciæque permixtus horror virtutem quasi subditis sibi stimulis incitat : concinunt litui, clangunt tubæ, volitant signa, fulgent gladij, immani quodam strepitu sonant tympana : jam congressus, jam pugna, etiam pulveris nubes variique discursus ; jam

tor-

tormentorum fulmina & fragores, missilium telorum concitatæ grandines, mox collisæ inter se acies alternis velut fluctibus reciprocatæ: sequuntur deploranda, quæ solent, fortunæ ludibria, cædes multiplex, devictorum fuga, clades nunc singulorum, nunc universorum, armatis inermes, eques pediti, integris ex vulnere jam debiles impliciti, equi in cruore lapsantes, succisi poplites, spirantia cadavera, morientium gemitus, insultantium clamores, atque inter hanc rerum faciem flumen exundans Sangvinis, & adhuc exundaturum immaniùs, nisi nocturnæ tenebræ atrox prælium diremissent.

Undecimus Modus.

AMplificationis per particulares inductiones ad dictum universaliùs propositum pertinentes, v. g. illud: Nihil in terris stabile. quod facilè dilatabitur, per inductionem regnorum quæ olim floruerunt, & jam interiere; item urbium, item hominum, puta, Regum, Ducum &c. &c.

CAPUT IIX.

Octavũ præ vulgari longè cultioris Eloquentiæ Fundamentũ.

Tum rerum tum circumstantiarum Combinatio.

ETiam hæc ad Fundamenta mirabilis Eloquen-

quentiæ pertinet, quia eſt ingenij melioris partus, imò vel maximè ingenij vim & acumen probat apta & mira rerum & Circumſtantiarum alioqui diſparatarum connexio atque idonea combinatio. Operæ pretium fuerit fundamentum hoc bene collocaſſe, quia recentium Orationes frequenter ſolùm huic Fundamento inſiſtunt, & pulcherrimè aſſurgunt.

§. I.

Mira Circumſtantiarum ad unam Propoſitionem accommodatio.

HIc elucet Oratoris induſtria, dum quaslibet Circumſtantias miro contextu ac fœdere conciliat, & propoſito accommodat. Hæc verò accommodatio fiet Primò ex affinitate proprietatum relucentium in Circumſtantijs; item ex affinitate, ſi qua eſt, nominis cum re in Propoſitionem cadente, vel à contrarietate cum eadem. Declaro id Primò, in Dedicatione Theſium Logicarum novo Soli ſinè maculis, DEI hominis Matri, in Anna, id eſt in Gratia Conceptæ, orbis & ſcientiarum Dominæ. ubi Propoſitio hæc eſt: Meritò ſe Tibi devovet Logica ac ſubmittit. Ratio prima ducitur ex combinatione tum nominis Logica, quæ per Anagramma Caligo dicitur; tum Lunæ, noctis & tenebrarum amicæ: Sicut ergo Luna nocturnus planeta, ſic hæc obſcurior ſcientia meritò ſe illi ſubdit. Deinde, quia ſi obſcura eſt Logica, ab illuſtri planeta & Sole ſerenabitur. Item Ancilla ſcien-

ſcientiarum Logica habet aliquid ad Domini Ancillam; & quæ rationalis eſt Scientia Conceptus, proinde & huic Conceptioni eſt amica &c. Quæ omnia ſic complectitur

Dedicatio Logicæ B. Virgini Immaculatè Conceptæ.

ET Logicam Tuis ſubſterni pedibus patiere, poſtquam id noctis Principi Lunæ permiſiſti, Auguſta Univerſi Princeps. Amicum tenebris utrumque nomen eſt; nec alibi pulchriùs, quàm à proximo Tibique circumfuſo Sole ſerenatur. Si Luna eſt quidquid calcas; etiam affuſæ pedibus Logicæ novum accendes plenilunium. Quanquam lucem non ambit Logica, nè nomen amittat, cui caliginem immiſcuit. Lateat, ſed ſub tam illuſtri planta; & hoc illi ſatis eſt ad gloriam. Plaudet ad Auguſtos Ancillæ pedes, Ancillans ſcientijs facultas, & ab offuſa Tibi Spiritûs umbra ſuæ faciet obſcuritati pretium. Quòd tamen Organi ſui Concentus Tuo dedicet Conceptui; Rationalis eſt, Conceptus amat. eos ſi dirigit, Tuo rectiorem non novit: hic illi vel maximè dignus dirigente Deo Conceptus placet. Minor quidem illa eſt, quàm ut Te extra uterum majorem, imò minimam colat; ſed tantilla etiam quidni ſubmitteret Tibi ingenia, quæ Caput conteris? Primos ingenij fructus non abnues, etſi malum Adæ, hoc eſt prima mortis bellaria non libaris. Certè Diſtinctio ſuo jure ad Te pertinet, cujus primum

in utero exortum à reliquis Gratia sic distinxit, &c.

Secundò Eadem mira Circumstantiarum accommodatio ad Propositionem fit, ducendo Proportionatam Allegoriam à qualibet Circumstantia, itá tamen, ut quælibet Allegoria ad eundem sensum detorqueatur, ad quem alia eandem Propositionem exprimens.

Sic primò ad illam Propositionem: vestra, Judices, gloria perennabit; accommodantur Judicum avita insignia: vestra nesciet unquam interire gloria; cui vexillum hoc triumphale expanditur: Oppugnatura Procerum nomen oblivio, vel in hoc signo vincetur: At nec Luna Ducalis vestro nomini ullas offundi tenebras patietur, hoc Lunâ Cœlite superior, quòd eclipsium ignara, constanti serenitate Patriæ affulget. Quanquam & accipitrinorum alis altiùs provectum terrenæ metas gloriæ effugiet vestrum nomen, nec Olorinus candor ullas ei umbras inspergi finet, & Leo flammeus Zodiaco dignior præ Cælesti meliùs pro vestra gloria excubabit, quàm pro aureo vellere vel Hesperidum hortis draco vigilarit: scutum insuper vobis contra oblivionis ictus dabit gentilitium ancile, Romanorum ancilibus vel scuto Persei præhabendum: aliorum Soleæ iter vobis ad Immortalitatem munient, & vestigia posteris impressa nunquam aboleri finent: Sagittæ rectà ad æternitatem nominis collimabunt: Fasciæ nobiliorem cœlesti vobis accendent Zodia-

diacum: Cruces avitæ consecrari, Rosæ & Lilia vestri Famam nominis efflorescere, tumulus nunquam emori, hastæ potiores Palladis vel Alexandri hastis ab immortalitatis meta vos nunquam aberrare volent; denique nec Arcus sinè præsidio, nec gradus pennis instructi, extra certum ad Famæ perennitatem iter vos esse patientur.

Sic item ad illam Propositionem: In Augusto scholæ Sarmaticæ vacant, accommodantur Divorum festa & insignia: Nec orbi quondam, neque Musarum domicilijs altissimâ pace frui licet nisi sub Augusto; ibi Jani clausis foribus, hìc Scholarum. hinc non sola in Augusto Petrum arctarunt vincula, sed & Rhetorum linguas; nec Apollinares tunc laureas cum Laurentio decerpere, neque ex Hyacinthi fragrantia melleam condire dictionem, nec Philosophari cum Augustino, nec triumphalia Coronatæ D E I Hominis Parenti licuit instaurare; Solâ tunc Inventione concessâ Stephano, ademptâ Rhetori; interclusâ Oratoribus voce, ubi voci Clamantis in ferali convivio vox auferretur & vita; præcisa spe laureandi tunc cujuscunque capitis, cùm nec V E R B I prodromo cum Capite (sinè quo tamen nemo illo major) esse liceret, volente id Saltatriculâ, quæ egebat planè Capite, utpote cui omne ingenium fluxerat in pedes, orbi Saltatorio, cui orcus pro centro sit, assvefactos,

§. II.

Mira Circumstantiarum inter se Combinatio.

EGimus de mira earum Combinatione in ordine ad eandem Propositionem; nunc agendum de Combinatione earum inter se mirè connexa, etsi diversæ Propositiones sese continuò subsequantur. Nexus earum proveniet tum ex lusu opportuno in verbis, tum ex affinitate vocum & proprietatum, tum ex correctione Oratoria, tum ex quacunq; ingeniosa earum ad rem propositam detorsione ac deflexu.

Patet id primò in hac Salutatione Ducis Exercituum Dominicâ Imâ Quadragesimæ dicta, ubi varias vides Circumstantias inter se combinari dicto modo.

Salutatio Ducis Exercituum.

DEsertum Christi nos disertos reddidit Dux Illustrissime. In solitudinem hodie secessit Verbum, sed adhuc nobis in urbe verba in Tui venerationem supersunt. Equidem famescente Christo ciborum magis abstinentiam amamus, quàm verborum. In Tuis laudibus nunquam nobis jejuna contigere potest Oratio, quorum desideria Tui conspectu usque ad satietatem imples. Circumfers tecum populorum solatia, & post exacta etiam Hilaria novâ hilaritate animos perfundis, ac trophæis assvetus, etiam nubes animi triumphas; eademque Imperiali cla-

va & hostes Patriæ, & mærorem ab animis propulsas. Vsq; adeò imperium & armorum obtines & animorū. Prodit ergo è sacris Cineribus novus Phœnix, dum toties nata de Tuo adventu animorum vultuúmq; serenitas renascitur. Quidni autem renascatur, Te augusta Tuæ Domus decora, quorum in Te compendium geris, in hæc Divorum adyta inferente, &c.

Patet idem in Salutatione Areopagi Sarmatici, Lublini, ubi etiam Circumstantiæ variæ mutuò innectuntur:

Etiam nobis litem ipsa intendit humanitas, & reos tarditatis pertrahit ad tribunal, Illustrissimi Judices. Salutantium officia & lene hoc urbanioris ingenij tormentum, distulimus ultra crucem; acsi gratiam invenire oratio nequijsset, nisi dum Helena Crucem reperit; vel declinans in Vesperum dies, vestro adventu quovis oriente factus illustrior, umbras Oratorum luminibus offundere potuisset. Expectatum donec nos ipse propemodum remus impelleret, urgerent lanceæ Adalberti, ac emortuam & Quadragesimæ cineribus insepultam excitaret facundiam cum Petrovino Stanislaus. Sed nec tardiùs Aquilarum propaginem advolare decuit; nec citiùs, nè temeritatis probrum incurreret celeritas imparata. Expectandum fuerat donec à Boleslao aliquantum audaciæ in accessu, ab avita Stanislai sequis cruce aliquod felicioris facundiæ omen traheremus, &c.

Corollarium
Ad superiores Paragraphos.
Mira Combinatio Temporum.

UT aliæ Circumstantiæ in ordine ad Propositionem unam, vel inter se in ordine ad plures combinantur, ità & plurium temporum Circumstantia; cùm nempè consideratur vel pars Anni currens, vel dies ac diei affixa celebritas aliundè accidens, vel mensis vel Solis tunc in aliquo astro mora, vel eventus tunc obortus, aliáque hujusmodi.

Patet id in Valedictione Oratoria ijsdem Delegatis Regni Poloniæ Judicibus: Sed ecce dum in Zodiaci libra felicitatis nostræ pondus expendimus, totâ repentè destituimur, totâ excidimus, vobis Justitiæ libram aliò transferentibus. Vix nuper Cœlestem Michaëlis bilancem intuiti, humanâ illam tractare manu renuitis, quæ Angelicam meruisset. Scilicet hucusque de Possessionibus fuerat litigandum, quousque non deventum ad juratum sacræ egestati Francisci nomen. adeóque felicibus nobis esse non licuit, nisi ad Octobrem, qui solus obstruit, quæ Aprilis Fortunæ gaudiíque ostia reserarat. Adeò & animos mensis vulnerat, qui Zodiacum Scorpij signo temeravit! nec totum in Cœlos affundit virus, etiam in urbis animos idem inspirat, hinc neque nos sinè dolore, quia nec sinè vulnere. Mæret abscessu vestro Tullius,

lius, cujus Judiciale genus hactenus coluistis, &c.

Sic Mensis November dilaudatur per eandẽ Temporum festorúmq; Combinationem: Etiam November in eximia sese luce circumspicit, cui satìs affulget luminis à multiplici Universorum Cœlitum luce, quâ suas illustraverat Calendas; satìs illi gratiæ à svavi modulantis Cæciliæ concentu, dignáq; ipsius Cæli auribus harmoniâ. Ab Andreæ nomine maturuit ejus felicitas, quam & Clementis fulcit anchora, & rota Catharinæ in sublime evehit, & Coronatorum quatuor insignia coronant, & Thaumaturgi prodigia reddunt admirabilem.

Mira Combinatio Conceptuum.

DUm eadem materia in pluribus illustratur argutis Conceptibus vel argumentis, hæc inter se nexu ingenioso & è rerum ac verborum exigentia petito satiùs est conjungere, nè illud Tibi quispiam è Momi familia objiciat, quòd hæc tua videantur esse arena sinè calce, aut Clypeus Phidiacæ Minervæ dissolutus. Sic combinantur illi conceptus de quodam Schismati Græcorum inimico: Æque Tu Vaticanæ Religionis cultor ac propagator, illius amorem in delicijs, incrementa in votis reposueras; ità infensus Schismati, ut illud ditius esse velles, inferendo illi nobilem è Piscatoris Annulo Unionem; ità ejusdem integritati providens, ut nullum è Græcis Capite iminutum velles; eos præ-

mijs coronans, qui Caput se habere agnoscerent; alliciens qui rationem adhuc cum Capite recusarent, misertus scilicet eorum, quibus Cœli ostia patere haud possent, eo quòd Romæ abjecissent Claves, &c.

Mira Combinatio Stemmatum.

NOn rarò contingit maximè in Procerum concursu hujus Combinationis usus. Varia ergo ex illis, sumpta Allegoria ingenij ope nectenda & Principali sensui accommodanda est. Dedi exemplum suprà: addo

Sic accommodatur nectitúrque in hac Sententia; Bene erat Urbi vobiscum, ô Proceres; In Luminum Patriam urbs hæc transijsse visa, quamdiu in Purpura vestræ lucis radiavit. Ipsa sub avito quorundam Labaro militare felicitas videbatur; abundè omnium, ubi hic præferretur manipulus: vernare hìc omnia, ubi Rosæ & Lilia perpetuum patriæ ver afflatura; micare, ubi Lunæ; eminere, ubi Acervi; sublimiùs evolare cum Accipitre, dies candidos sumere ab Olore, felicitatis metam attingere cum sagittis, calcare ardua cum Soleis, in gradibus avitis assurgere. Fascijs ambiri omnia citra ambitum videbantur: à Gentilitijs Turribus munimentum, à Fluvijs, aurei Gangis omina; ab Hastis, præsagia triumphorum, ab aure gladio munita, Famæ; à Campo, Victoriæ; à Capite, Boni Consilij auguria deducere &c.

Possunt eadem Stemmata ad diversas Propositio-

ſitiones accommodari, ità ut ſicut unumquemque ex Proceribus deprædicas, ità & uniuſcujuſque ad Stemma, prout hoc & ejus laudes exigunt, alludas: vide Exemplum in arcu Pacis, ubi auctor meminit ſeorſim Soleæ Koniecpolianæ calcandis barbarorum cervicibus fatalis; ſeorſim Fuvij Lubomirſciani, qui fluctuanti Patriæ fida ſemper & tranquilla Statio, barbaris myoparonibus inevitabile naufragium; ſeorſim Haſtarum Zamoſcij, quæ cùm ob cognatam huic ſangvini Sapientiam errare in hoſte neſcierint, Scævolis potiores Heroas armaverunt.

Mira Cauſarum Combinatio.

RAtionibus firmare Propoſitionem commune eſt, ſed rationes ipſas ſpecioſiùs innectere eſt ſingulare. Admirationem hìc conciliant tum cauſæ ſenſu admirabili propoſitæ, tum nexus acutior & à vulgatis tranſitionum modis remotior. Unum id & alterum declarabit exemplum. Primum habes in Oratione ad Attilam volentem Romam ſubvertere, quod diſſvadetur, multiplici ratione & nexu. Vide §. 4. Capitis primi.

Aliud Exemplum habes in Præfatione philoſophica dicta contra Diſtinctionem Scotiſticam; Subtilem Scholam exeunte Januario aggreſſus, etiam tunc recluſis in bella Jani foribus, arma per inducias ſemeſtres poſueram. Reſumo jam præliares animos, & ſubtilium caſtris iterum novus Fecialis certamen literarium indico.

dico. Nec præliari contra Martem Seraphicum temeritas est; non sola rem decernunt, nec sola semper nomina laurum pariunt aut infringunt. At nec ratio prohibet in terrestres arma capere Seraphinos. Concurrit hæc & cum Angelicis toties ingenijs velitatur, quæ illi Aquinaticus Sol ostendit: utrumque id Angelicum nomen est, quod semper ratio colit, etsi non sequitur semper. Amplector Scoti ingenium, sed non ubique sententiam. Citiùs mihi quidvis aliud quàm Distinctionem Formalem ex natura rei persvaserit. Arma, arma, contra illam inclamo, & priùs in eam sic telum intorqueo &c.

§. III.

Mirum Acumen ex varia rerum Combinatione.

INgeniosa rerum combinatio & ipsa per se acumen est, & mirum sæpiùs acumen parit. Quod ut fiat, videndum an res aliquam affinitatem cum Eruditione quapiam vel paroemia non habeat: vel an pariat jucundam aliquam Amphibologiam, vel æquivocationem illud vocabulum, quo res enuntiatur. Exemplis aliquot rem illustro.

Sic dum Hispanus Gallorum aliquot millia verè an falsò nuntiaretur cecidisse, nonnemo scripsit: Hispani aliquot Gallorum millia cecidere. hic luxus Martis Hispani est. ubi vides aptam & ingeniosam combinationem victoriæ

Hispa-

Hispanæ de Gallis, cum lusu ex allusione ad nomen æquivocum, Gallus; & aptè luxum tribui Marti &c.

Sic item Collegij cujusdam, ubi literæ perquam florent, Fundator est, cujus insigne Gentilitum est, Caput Asini. hinc nonnemo ingeniosè res & Eruditionem de Pallade ex Jovis cerebro nata combinans: Iterum Pallas è cerebro, & quidem Asini. non unus hinc Asinius Pollio, magnum in Græcia nomen & literatorum Numen.

Sic de primo inventore lyræ Jubal dicto: Ingrate Pastor secta pecudum viscera imparibus discreta numeris extendisti: sic in Cytharæ equuleo mortuos torques & inter tormenta canere jubes.

Sic alius de morte Ferdinandi tertij, quæ contigit Feria secunda Paschæ, mirè combinavit in acumen hæc: Splendidè opsonare visa mors Agno sibi nuper in ferali Golgothæ colle apposito, post Agnum placuit Imperiale pomum monstro huic delibare. Hæc sunt bellaria Mortis post illud opsonium.

Sic & de obeso ludit Stratius: Vir es, inquit, magnæ continentiæ. Ubi diversi sensus connectuntur in acumen.

Sic & de Studiosis Collegij Karnkoviani sub signo Agni aliquis; Hic si uspiam numerosus cernitur Equester ordo, omnes hìc Equites velleris aurei &c.

§. IV.

§. IV.

Ex varia rerum Combinatione eruuntur miræ Propositiones.

INter alia quibus gloriosè insudat præsens seculum, sunt raræ, ingeniosæ Propositiones tam in Oratione profana, quàm sacra. Earum ingeniosè eruendarum Modos aliquot dedi suprà ubi egi de acuta Eloquentia: Hìc addo ex rerum varia Combinatione mirè acutas erui Propositiones & tantò admirabiliores, quantò magis præter spem hinc eruuntur.

Sic nonnemo Hæresim hujus seculi à Romano Pontifice alienam Stylo invasurus, argumentum sibi præfixit: Hydra sinè Capite. nempè id monstrosum hydræ multorum capitum, & cui uno avulso aliud non deficit.

Sic alius die salutatæ ab Angelo Virgini Matri sacrâ, ad assumptam tunc humanam carnem à Verbo alludens Orator, pro argumento dicendi habuit: Ignis sepultus in cinere. Alius eodem die id argumenti eruit: Persona Promota DEUS Homo in Collegio & Universitate Mariana. Alius verò: Unio in Mari Gratiarum repertus. ubi Allusio ad unionem Hypostaticam, & unionem seu gemmam, Quæ omnes Propositiones è varia rerum Combinatione, ùt vides, eruuntur.

Sic & in Festo ejusdem Virginis Matris sinè primigeniæ noxæ macula conceptæ eruta ex diversa rerum & vocum Combinatione Propositio illa: Metropolis Divina à communi tributo exem-

exempta. Et Conceptus Gratiæ. Et illa; Sol sinè maculis. Item: Meridies ante ortum. Et: Plenilunium in Novilunio.

§. V.

Ex varia rerum Combinatione mira sumuntur argumenta probandæ Propositioni accommoda.

SIc jam usus obtinet ac expolitæ ætatis ingenium, ubi semel admirabilis videri ambijt, mira molitur omnia, & Propositioni non vulgaria, sed insperata adinvenit argumenta. unde autē sæpiùs, quàm ex varia rerum, temporum, locorum, Eruditionum consideratione, & conflato ex ijs suæ causæ firmamento. Res exemplo evadet illustrior.

Sic in Oratione, cujus argumentum seu materia fuit: Magister piæ in Parentes Impietatis Stanislaus Kostka, argumenta in laudem hujus virtutis ex varia vitæ, Circumstantiarum, Eruditionis Combinatione desumuntur hæc, in laudem tantæ doctrinæ & magisterij: Primùm: Circumtulit per orbem deductam hanc Cœlitus scientiam, nec in Austria sedem fixit, cùm nec Fraternus livor, nec Imperialis Aquila ejus Solem hunc ingenij ferre posset; donec Septicollis Roma Cathedram illi offerret, nè longè abesset à Petri Cathedra eximiæ facultatis Professor, & novo Prodigio pullus Aquilæ à Filio Columbæ; quasi tantam virtutem & ingenium, novas de se, novas de parentibus laureas decerpentem minimè dece-

ret

ret extra Capitolium triumphare. Quidni se illi hospitalem præbuisset etiam Andreæ Domus, quem totâ exceperat Româ Petrus? Ibi pulcherrimæ artis auctor substitit, Francisco olim Gandiæ Duce artem probante. scilicet qui Franciscum se Peccatorem scripserat, facilè hic Peccator, piè in Parentes impium sociali adlegit agmini. Verbo, facilè locum reperit apud Sanctum Peccatorem pia crudelitas &c. Secundùm Argumentum: Dedit illi plausum triumphatrix Roma: dedit & Cœli Regia, Securum est discere, quòd cœli prodigijs roboratur. Affuere de cœlesti Gymnade prænobiles Ephœbi, daturi præconium Sapientiæ, quâ rudes ille animas erudiret: absolvitur à noxa Impietas, quæ Cælestes Genios in dulce spectaculum evocavit. cœlesti pabulo recreari meruit, quisquis id didicit. Æther ipse totâ Divinitate alit tantam virtutem, & Scientiam Professoris. Adest & illa Virginum Cœlitúmq; Princeps, sudanti inter febriculæ an charitatis deliquia, & in pio facinore docendo laboranti Kostcæ non aliud Solatij afferens, quàm quo Cœli æternitas bearetur. Inter filios adscribit illa, qui sic in terris Martem oderat, &c.

Sic & in Oratione de Annuntiatione & Incarnatione Verbi, ubi materia & Propositio fuit: Metaphora in Verbo, argumenta constant rarâ combinatione in laudem Cœlestis illius Metaphoræ: Primum: Didicit tandem Cœlum grandioribus uti Metaphoris, cùm Deus fecit Metaphoram in se Verbo, Tot ab orbe condito fluxerunt

runt secula, dùm unicum hunc Tropum astra discerent; sed tandē Deo Rhetore profecerunt. tum primùm agnosci Metaphora cœpit in Verbo, cùm Deus in carne: neque priùs illa potuit mente concipi, quàm Virgo conciperet

Secundum: Nec suavitas Cœlesti deest Metaphoræ, quam condit gratiæ plenitudo. Origo illi Paradisus est: ab illo voluptatis horto noster hic Hortensius: Prægustatum Adæ malum tam bonam artem protulit, ubi ex arbore scientiæ talis fructus, id est, hujus Metaphoræ necessitas pullulavit. Svavitatem ejus insuper commendat Nazareth, neque enim in hac Florida Galilæa Floris illius translatio contigere potest injucunda. Vernat & ipsum natalis loci nomen, ipsáque citra novam Metaphorã florentis Nazareth rident prata, ad hanc floridi quia Nazareni translationem Verbi.

Sic & in Oratione de Cometis, quòd hæc illustria cœli ostenta & crinitæ in cœlo faces, sint felicitatis præsagia: Argumenta ex combinatione variorum sumuntur ingeniosè. Primum. Quia Ignis sæpè lætitiæ index & augur: hinc ignes Triumphales. Secundum: Quia in Cœlo etiam naturâ immanes feræ mansvescunt, & sua feritate ibi destituuntur. Nemo timet Ursam Cœlestem, vel Scorpionem, nemo Leonis vel Ophiuchi sidus, nemo Centaurum vel Herculem; innocuo hæc splendent sereno. Crinitas ergo caudatásqve faces in cœlo timeas, & feras non times? &c.

CA-

Caput IX.

Nonum non vulgaris Eloquentiæ Fundamentum: Argumenti tractandi Varia nec obvia ratio.

ETiam id in plausum theatra & rostra excitat, si ità laudabiliter uni insistas modo, ut pluribus æquè possis. In unam trahere formam, normámque omnia, tædio non vacat. Hìc hìc maximè satietas fastidio proxima. At Eloquentia nostra fœcunda est modorum in argumentis, aliter à communi & obvia ratione tractandis. Sterilitatem hujusmodi & rudem inopiam odit. Profero nonnullos è plurimis.

§. I.

Modi complures quibus Orator Admirabilis utitur in tractandis Argumentis seu materia Orationis.

NOta Primò, Modi qui hìc recensentur, tum varijs materijs diversarum Orationum, tum uni eidemq; materiæ diversimodè tractandæ serviunt.

Nota Secundò. Usum hujusmodi modorum esse tum in longiori Oratione & Panegyricis grandioribus, tum in minoribus & Officiosis, ùt sunt Salutationes, Gratulationes &c. non nego tamen aliquos ex recensendis modos esse etiam vulgàri Eloquentiæ usitatos; sed tamen ijs noster Orator ità utetur, ut in vulgari alioquin modo

do non vulgariter ſe gerat, & communia non communiter uſurpet, ſed modo ſingulari & ſuæ admirabilitati congruenter.

Argumentum hic idem intellige quod materiam Orationum, quæ

Tractari poteſt primò ſic:

ABſque ſolenni exordiendi forma, & Propoſitione expreſſa, ſeu pollicitatione de quo ſis dicturus, ordire à ſententia Propoſitionem Orationis antè inventam includente, reliqua ad eam ſpectantia contextu connaturali proſequendo. Sic fit in Oratione illa in Annuntiatione, cujus materia & Propoſitio : Metaphora nova in Verbo: Statim enim incipit Orator: Didicit tandē Cœlum grandioribus uti Metaphoris, cùm Deus fecit Metaphoram in ſe Verbo &c. & ulteriùs contextu naturali pergit Oratio, exponendo qualis hæc ſit Metaphora, quæ ejus neceſſitas, ſvavitas, utilitas &c. Similis modus eſt in alia de eodem feſto Oratione, cujus materia eſt Solennis Verbi ad Corpus receptio. Statim enim incipit: Tam nobile Mariani Sodalitij corpus eſt, ut Deus etiam hoc in corpore cerni velit. Pridem id ambijt, hodie tandem in Corpus & ille receptus eſt; quid enim Deus eſt in carne quàm Sodalis in corpore &c deinde contextu naturali, pergitur, quâ ratione id peractum, ubi de Angeli legatione, Divinæ Matris aſſenſu, Sodalis conditione ad propoſitum.

Sic & in Deliberativis Orationibus, ut in illo

Man-

Manlij, cui propositum est Militem Romanum contra Latinos animare; Sic ergo incipit:

Bellum nobis, Quirites, gerendum est cum hoste, qui nec bellum nec pacem pati sciat. Samnites jam compescuimus, adhuc nos Latinorum arrogantia elicit in certamen. Scilicet non satis ad Regillum lacum Latini haustũ sanguinis; adhuc etiamnum furentibus sangvinis missione opus est. Sed eluet tandem, quam sibi turpiter conflavit notam Latinorum fides, novásq; lacus suarum testes stragium suo sangvine colorabit. Omen belli nè quærite; in manu vestra est, quanquam ominis adinstar mihi est ipsum Latium nostris armis semper oppressum. Meminit mons Algidus, ùt illos Quinctius Dictator ab aratro (nè quid à rustici operis imitatione cessaret) victos more pecudum sub jugum misit, rediitq; ad boves triumphalis agricola &c. sic connaturaliter ultra pergit & aliqua refutat. &c.

Tractari potest 2.

INsigni Allegoriâ Propositionem exornàndo, eámq; per totum Orationis contextum continuando, observatis ijs, quæ suprà de Allegoria Admirabili cap. 4. Modus hic solennis est & usitatissimus, sed ex dictis supra admirabilitas illi quædam concilianda est, & ipsi Allegoriæ Paradoxum subinde vel Oppositum communi sensui & Proverbio adstruendum. Ut in Oratione de S. Borgia per honorum contemptum gloriosiore, pater, ubi materia dicendi est Allegorica: Sol sere-

ſerenior ab occaſu & ibidem ſic incipit: Orientem hactenus cum Phœnicenſibus adoratis Solem, Occidentem nunc adorabitis &c.

Idem in ea Propoſitione patet de Seraphico Poloni Koſtcæ in Deum amore: Zona torrida in Aquilone.

Porrò ad Stemma fit ingenioſa Alluſio multipliciter.

Alluſio ad Stemma multiplex.

1. *Vel enim alluditur ad colorem. ùt ab Oloris & Roſæ colore de quodam: Candorem à gentilitia alite in animam & mores tranſſumpſit.*

Et:

Concolor eſt Domini moribus iſte color.

2. *Vel alluditur ad proprietates rei in Stemmate depicta ùt de quodam è familia Roſcorum: Famæ odorem eum ubiq; ſparſit, quem à Roſa expectaſſes.*

3. *Vel per Alluſionem ad Oppoſita proprietatibus Stemmatis. ut de Gentilitia Luna: Luna hæc diem efficit, æquè noctem ac tenebras ullas neſcit, quas avitis fulgoribus ex illuſtri familia excluſit.*

4. *Vel per allegorias quæ poſſunt trahi ad Stemma, v. g. Gentilitius Tuus Amnis Patriæ portus: hoſti ſemper naufragium: in quo út toties hoſtilis fluctuavit felicitas ſic Polonæ ſemper velificatum gloria &c. Sic item in obitu cujuſdam cujus inſigne Luna; Flerem extinctum Familiæ terriſq; lumen niſi Cœlo Lunam deberi ſcirem. Dederit*

derit illustriores hactenus terris dies, nocturnus certè hic planeta noctem & tenebras non refugit, quas tumulus offundit. Et; Miram in largiendo celeritatem è Tuo flumine derivasti.

5, *Vel Eruditio Stemmati conveniens afferenda. Sic de Fluvio avito Domus cujusdam Patritiæ: Candido semper decurrit alveo, nisi quòd hostili clade sæpiùs erubescat & sangvine, nè quid de laude Thrasymeni non decerpat. Hìc etsi de Sardiniæ fontibus non sit, tamen impunè à latronibus non bibitur.*

6. *Vel Comparatio aut prælatio Stemmatis ad aliam rem similem instituenda. Vt illud:*

Vrso Cœlestis sit minor ursa Tuo.

Et de Navi Czarnieciana:

Iasoniam tandem Cœlo depellite Navem;
Dignior hoc fuerit Czarnieciana Ratis.

7. *Vel ad Campum Stemmatis allude, puta rubeum vel Candidum, &c.*

Certè Stemma subinde dat impetum toti Orationi, ùt patet ex alibi dictis.

Tractari potest 4.

SUmpto non rudi impetu ad reliquum totius Orationis contextum à Comparatione rei vel Personæ cum alia. Sic tot Regnorum gentiúmq; illustrator Xaverius à Sacro Oratore cũ Alexandro componitur, cui unus non suffecerat orbis.

Sic Causinus Eloquentiã cum Pantarba lapide, qui semper ardet & fulgore suo vel in media nocte

nocte diem efficit, aliósque lapides ad se arcana vi pertrahit; sed è captantium manibus facilè effluit, &c.

Tractari potest 5.

SUmpto ingenioso impetu dicendi ad totum Orationis contextum ex titulis, nomine vel Honore, Honeríque insignibus.

A nomine illud Eliæ N. ἥλιος autem ex Græco Solem significat: Nè à Tuo errarem limine, insitus Tuæ menti nominíq; splendor fecit. Eum Tu semper animo, quem nomine circumfers Solem, nec ullas invenis tenebras, quas non Tui nominis luce expugnes. Quocunq; immigras, Cælum efficis, diémq; non minùs ædibus quàm ingenijs accendis. An enim aliunde magis Orationis lumina deriventur quàm à Sole? Cælum duos non posse pati soles asseruit Macedo, Tu Teipso refutasti &c.

Ex titulo etiam ille impetus in Salutatione Thesaurarij: Nunquam minus inopem verborũ se agnoscit Eloquentia, quàm cùm ad Te perorandum est. Idem quod opibus & auro Patriam ditat, etiam verborum liberaliter illi suppedita Tuum ærarium &c.

Tractari potest 6.

AFfectui uni potissimùm, quem Tempus & res exigit insistendo; eíque servientes Figuras, sententias, Eruditionem accommodando; nunc scilicet gloriosè, ubi gloriandum est; nunc excitatiùs & animosiùs, ubi erigendi animi; nunc

Oratione in luctum attemperatâ, ubi tristitiam res ac eventus imperat &c. Sic in gratulatione læta omnia, omina lætiora & applausus: in funere lessi lugubres, similes illis cujusdam sic ordientis: Quod nobis lacrymarum fæcundior, quàm verborum inspirat dolor, hoc inter Parentales lugubris Pompæ cærimonias eloquimur, Pauciores hìc lineas quàm lacrymas numeraveris, ubi non tam Eloquentiæ, quàm doloris ductu, tota plorationi, quàm orationi, similior in luctum desinit, cadit in lacrymas Oratio. Perorandum nempè lacrymis, ubi cor & lingvam semel occupavit Orator Dolor.

Tractari potest 7.

TOta Oratio (quod potissimùm convenit Epitaphio vel concioni sacræ) per Prosopopæiam. Sic illud Elogium Jabel: Viator bene mihi precare, si malus es, ego Lamechi primigenius, sed Patre pejor, de malis bene merui: nam cùm Cælo teste viverent impij, nè ulla sceleribus daretur latebra; primus tentoria prætexui, quæ Cæli conspectum raperent. debet igitur impietas mihi, quòd Cæli oculos fugit &c.

Tractari potest 8.

MAximè Oratio Parænetica & Exhortatoria, Postulatoria, &c. per solas Eruditiones ac Exempla concinniùs conglobanda, gravésque sententias. Sic vides Justum Lipsium in monitis Politicis agere; sic Tullium in Bruto,

De usu autem singulari Eruditionum & sententiarum suprà *cap.* 2.

Tractari potest 9.

PEr Protasim & Apodosim, juxta doctrinam decimam *Capitis* 2. adducto ad propositum simili vel Exemplo, vel Symbolo, vel Hieroglyphico. Sic in illa Gratulatione Paschatis, ubi est hæc Protasis: Eò demum arrogans evasit ambitio veterum, ut cum aurea sibi arrogarit secula, gemmeos somniaret imbres, gemmeam utique sementem aurei non infæcundam seculi producturos, nempe se veterum vota extenderant. eo usq; fabulis sunt progressi, ac evenisse crediderant, quod evenisse ambiebant.

Sequitur Apodosis: Eventus certè résq; ipsa Tibi ac Reipublicæ Christianæ servabatur, in quam hodie Cælum auream pœnè gaudiorum effudit procellam. Fluent Tibi meliora auro secula, & beatiorem reddent, quàm pretiosus ille in fabulis imber veteres effecisset.

Sic & ille Principis Clementiam laudaturus, trahit in Protasim Symbolum Medicæi sic: Quisquis de Tua inaudijt lenitate (quis autem non inaudisset, cùm tantæ virtutis canora ubique sint præconia?) is mentem & Heroicæ mentis tesseram in Magno Hetruriæ Duce Ferdinando Medicæo penitus approbavit. Lenitatis illi Symbolum Rex apum erat apum Satellitio cinctus, & illarum tantum armis non suis; nulla illi asperitas, nullus aculeus; Solâ Majestate anteit,

quod illi Dux idem Elogium inſcripſerat. Jam Apodoſis: Tua hìc adumbratur gloria, qui non terrore ſolium, ſed armis benevolentiæ firmare ſolitus, Majeſtate tantùm ſubditos, Principes anteis lenitate.

Sed de Symbolorum uſu lege Didacum Saavedram.

Tractari poteſt 10.

PEr Oratorium Enthymema vel Syllogiſmum imminutum vel integrum, ità tamen ut Antecedens vel Major ac Minor tum rationibus ac Exemplis Sententiíſque illuſtretur. Porro ſyllogiſmus Oratorius poteſt eſſe rectus, dum primò exponitur Oratoriè Major, deinde Minor, demum Concluſio: vel inverſus, dum retro partes Syllogiſmi pertractantur: vel immutatus, dum quocunque alio ordine eadem efferuntur. Hæc omnia ut ſint digna Oratore Admirabili, Stylum & modum tractandi tenere debent non vulgarem, & Sententiæ Antecedenti & Conſequenti comprehenſæ non ſinè circuitu & pulchro verborum ac grandiorum ſenſuum ambitu efferendæ.

Patet id in Enthymemate illo Præfationis Philoſophicæ: Et tempus & Perſona cui dedico Theſes, nec non auctores meæ ſententiæ faventes me ad diſputandum excitant. Ergo diſputabo. Quod ſic Oratoriè expoſitum:

Provocor in arenam, in qua non ſteriliter Philoſophicæ ſuccreſcunt laureæ, Poſt Solſtitium hoſtem

hostem distuli & trophæa, ut brevior litem citiùs terminaret dies. Semper enim intra gloriam stetit decerpta momento brevíq; assultu laurea. Quanquam à Solstitio Etuditæ longiùs incalescere possunt iræ, nisi eas vel ratio contrahat vel dies. At nec infaustâ alite certamen ineo, cui felix augurium præcinit Trzebiciorum olor candidus. Sic nec Aristotelici Organi sonos hæc ales horret aut abnuit, cui nec anser olim Capitolinus ingratum obstrepere inter plausus Theologicos Romæ videbatur. Nimirum hæc volucris amat flumina, tam sacris fontibus Aquinatis, quàm Euripo Aristotelis peramica. Plus mihi proinde hoc agone confert, quàm Valerio Corvino virium contulerit sacer Ales. Neque præliaturo recentes Hispanorum desunt suppetiæ, quorum sub armis ut antè imperia, sic adversa semper ingenia gemuere. Cadet quisquis Præcisiones Objectivas illis objecerit. Acutius quiddam eis indidit mens subtilior, quàm ut tam crassè audeant præscindere: adeóq; formosius trophæum sibi Mars Hispanus statuit, ubi solas, &c.

Tractari potest II.

PEr Expolitionem Oratoriam, cujus sunt 5. partes: Propositio, Ratio Propositionis, Ratio Rationis, Confirmatio ejusdem ab exemplo vel simili, & Complexio seu Conclusio in qua repetitur Propositio. Exemplum habes suprà.

Tractari potest 12.

PEr modum Chriæ demptâ laude seu primâ parte Chriæ; si nimirum exposita quæcunque Propositio, tum à Causa, tum à contrario & simili, tum ab Exemplis & Testimonijs robur desumat. Crescet in immensum Oratio vel restringetur, prout se in dictis partibus effuderit Eloquentia, liberaliter scilicet vel perparcè. Patet id in illustrata per partes Chriæ illa Sarbievij Sententia: Is auro nempe bibat cui dulce ferrum est. Sic enim illustratur per partes dictas:

Propositio: Amas virtutem militum, ô Princeps! etiam hanc corona, & strenuum ferri usú auro etiam repende. Causa: Sitit nempe sangvis effusus par præmium, & refundi auro postulat, securæ suâ virtute Patriæ aureum parans seculum. Equidem nisi Ducum munificentia virtuti hoc aureum addat calcar, cursum gloriæ intercipit. Quis enim arma pro Patria capessat, imò quis citra probri ullius metum arma non deserat, si falcatis curribus nullam colligat messem? Hebescit Martia fortitudo, hebescit & ferri acies, si illud aurum non acuat: nec albo militum benè suum convenit nomen, nisi candorem duxerit ab argento in præliares animas effuso, quæ tantò segniùs agunt in hostem ferreis, quantò parciùs aureis domi munificentiæ telis oppugnantur. Quàm feliciùs arma hæc aurea ignaviam militi, & ruituros in prærupta desi-

dias

diæ animos expugnant! quàm uberiùs argentea hæc ſementis, dum ſpargitur in cruento illo Martis patrij gloriæque Campo, pulcherrimam gloriæ meſſem & frequentes laurearum manipulos producit! Itur nempe in hoſtem animoſiùs redeunte virtutis præmio; & hoſtiles copiæ manum expaveſcunt, quam præmiorum urget Cornucopiæ. Langvet agricola, ubi ſterile ſolum experitur, pigétque illud excolere, in quo Solæ propemodum herbæ, nè dicam laborum curarúmque ſpinæ ſuccreſcunt. Mæret ergo illuſus agricola; & militum virtus ſuo deſtituta munere non concidat nec pariter elangveſcat? glebam gratis vertere piget, & hoſtiles cuneos ſubvertere, venalémque animam gratis circumferre libeat? Neque Tuus, credo, tam alacer in hoſtem irruiſſet miles, Juli Cæſar, niſi auſis grandioribus non impar decerneres hoſtimentum. Tuus verò, Trajane, quàm fortiter & inflixit hoſti, & inflicta ſibi vulnera accepit exercitus, dum conciſam in lacinias Regalem Purpuram obligandis fovendisque militum vulneribus adhiberet. Altiùs fortaſſe progreſſa eſt Boleslai liberalitas, quamvis non ultra æquitatis terminos, cùm victorem exercitum reducenti à Moravis Zelislao cum aurea manu occurreret, & novum planè in illo Duce Scævolam, in quovis tamen Porſena errare neſcium, manu ſtrenuè amiſsâ inſignem, manu aureâ illi oblatâ ſalutaret. Dulcius Zelislao poſthac ferrum fuerat, dum novo melioris Midæ artificio in aurum

extra fabulam demigraret. Sapuit certè Roma vetus, quæ honoratæ virtutis bellicæ delibarat ſvavitatem, in lacteo ſuo mari Livio identidem inſtillante, nihil non aggreſſuros milites, ſi magna conantibus magna præmia proponantur.

Tractari ſolet & per Partes ſex Orationis Rhetoricæ, puta Exordium, Propoſitionem, Narrationem, Confirmationem, Confutationem, Perorationem, de quo mox fuſiùs agetur.

§. II.

Tertius & 4. Modus inſignior & facilior Orationis ſcribendæ, Admirabili Oratori uſitatior.

ADvertendo ſingulariter ad ſenſus congruos ac ingenioſos, quos eruit è Circumſtantijs & Adjunctis Temporum Feſti, Menſium, Dierum, Locorum, Cauſarum, Modorum rei geſtæ, Perſonarum, Nominum, Titulorum, Inſignium, Stemmatum, Honorum, Natalium, Eventuum, Geſtorum, Dictorum, Prodigiorum, Caſuum, Virtutum, Rei bellicæ, Sapientiæ ac Artium, Fortunæ ac opum, Vitæ actæ, Mortis inſigniter obitæ, elogiorum & Plauſuum, trophæorũ &c.

Nota non ſemper omnium horum fontes aperiendos, ſed ex uno ſubinde vel paulo pluribus delibare ſufficiet.

Exempla ab his Circumſtantijs ductarum Orationum atq; acuminum ſuprà dedi aliqua, & alibi ſeorſim dabo.

Porrò quàm inſignes impetus ex dictis Circum-

cumstantijs deduci possint, obiter adductis aliquot exemplis insinuo.

Quàm illud aptum ex nomine Michaëlis in quadam Gratulatione Michaëlis N:

Angelos etiam in terris commorari è Tuo didicimus nomine; nempe extra cælum etiam, nec in Solo Gargani colle Michaëlem intueri licet. Toties hîc est Michaëlis apparitio, quoties Tuum admittimur in conspectum; nisi quòd Tu mitiùs comiúsque Te exhibeas, quàm Cælestis Michaël etiam in Cælis, ubi Pacis visio est, solitus præliari &c.

Sic & ad Hospitē quendam in Autumno venientem è Circumstantia Temporis aptè luditur: Te in Urbem hanc avitum sidus inferente sub Autumni primordia, non tam lux decrescere cæpit hominibus quàm diebus, &c.

Et ad alium, infrà Octavam Epiphaniæ Hospitem: Etiam nunc Stella cœlestis Regum anteambulo ductricem se exhibet. Fatum id hujus sideris est, alienis oriri commodis, & vel Magos deducere vel Magnos. Nondum ingenium exuit stella hæc, Reges antea deduxit, nunc rectores &c.

Quartus Modus Orationis scribendæ modus est sententiosus & hypothesi crebram & longiùs ac venustiùs exaggeratam thesim permiscens per rotundiores sententias, idque vel planas vel eruditas. Exemplum vide cap. 2. §. 2. notatione nona de usu sententiarum.

§. III.

Ultimus Modus Orationis potissimùm Panegyricæ non vulgariter pertractandæ.

UT alibi, ità & hìc primus labor sit raram & singularem invenire Propositionem.

I. Modi Propositionis Panegyricæ variandæ.

PRimò potest esse Comparativa, vel sic v.g. Lechicum in præsens affero Alexandrum, quem Polonus olim adoravit orbis, barbarorum ferocia semper exhorruit A. A. Vladislaus is est, &c.

Vel sic Problematicè: Nondum Orbis apud se conclusit, uter magis grande illud Magni cognomentum meruerit, Alexander, an Vladislaus. Nec mihi minus laboris, dum id dubij dissolvo, quem tanta obruit magnitudo &c.

Vel sic; Unum hactenus Macedonia totáque retro suspexit antiquitas Alexandrum; alterum Orbi dedit Polonia, & ego in eruditissimo hoc consessu dare statui. Vladislaus is est, qui unus ità omnem Alexandri gloriam exhausit, ut meritò ætatis suæ Regníq; Alexander credi colíque posset, &c.

Secundò, Propositio Panegyrica variabitur, si per modum Problematis quæratur, quâ in re magis excelluerit is qui laudatur. v. g. de forti aliquo Heroë inquireres: Magísne eum hostes timuerint, an tantam illius virtutem amaverint?

Ter-

Tertiò, Propositio Panegyrica variabitur, si virtutes alicujus pro norma & Idea statuas virtutis vel Fortitudinis. v. g. si laudandus sit Judex æquissimus, illum statues ùt Ideam judicis posteritati.

Quartò, Propositio variabitur, si Panegyrim Allegoriâ exornes idoneâ. Ut in laudem Divi Francisci Xaverij: Novus Occidentis & Orientis Oriens.

Quintò, Si è triplicibus bonis Animi, Corporis, & Fortunæ potissimùm animi bonum seligas aliquod laudandum, alijs obiter insinuatis: vel ætatibus alijs, puta pueritiâ, adolescentiâ &c. omissis, mortem potissimùm gloriosam extollas; qui modus eo magis tenendus, quò certiùs est aliquem in ea tantùm ætatis parte, vel virtute laudabiliorem esse.

Sextò, Per modum quæstionis seu interrogationis potest institui Propositio Panegyrica, inquirendo v. g. Quo honore affecisset ætas prior tantam virtutem?

Septimò, Propositio jucundè variabitur per Concordiam discordem seu quenduam Oppositorum conflictum in Propositione. v. g. de S. Alexio sese Parentibus non prodente: Illustris umbra, seu quòd magis eo inclaruit.

Octavò, Propositio Panegyrica gratiæ multũ accipiet, si varietur per dictum quoddam ab hominum opinione & rerum cursu ordinario alienum ac pænè incredibile: v. g. de abstinentia mira S. Andreæ Zoroardi dicturus, illud assumeres:

Fames virtutis cibus. Vel illud de Annuntiatione B. V. MARIÆ servitute Regnatrix.

Nonò, Ad variationem Propositionis poterit assumi res difficilis effectu vel impossibilis. v. g. in laude Divi Xaverij Indiarum Apostoli: Motûs Perpetui Inventor. Et de Sancta, se per ignem, in quem se ultro injecit, à libidine vindicante, esset Propositio: Prima hæc docuit extingvere ignibus ignes.

Decimò, Novum sidus vel cælum in aliquo viro condi aut oriri diceres. Vel ad Imaginem virtutum coloribus adumbrandam meliorem invitares vel conderes Apellem.

Undecimò, Artis vel scientiæ insignioris nomen accommoda subinde illi quem es laudaturus. v. g. Novus Geometra, Astrologus &c.

Duodecimò, Si res ferat, omen ex nomine laudandi Herois deduc; Item auguria sive præsagia ex aliquo eventu v. g. in Festo Immaculatæ Conceptionis: Ex ortu Auroræ illius qualem orbis diem sperare possit. Vel in Annuntiatione: Ex illa legatione speret Orbis pacem.

Quodsi laudandus sit, de quo nihil sciatur ferè, tantùm quòd fuerit Vir probus & laudabilis; poteris inquirere causas, cur lateant ejus acta. v. g. quia non satis ea caperet orbis; vel; quia ille studio demissionis scenam non ambijt ac theatrum, Cœlo & conscientiâ teste contentus. egregiè facta terris occultavit. Vel certè poterit assumi quid genericum, v. g. Quanta viris, quorum

rum etsi gesta taceantur, tamen optimi semper sunt habiti, veneratio debeatur? vel certè excurratur in laudem ejus Patriæ, Majorum, siquid de illis scitur.

II. Idea concludendi Propositiones Panegyricas.

HOc quidem non requiritur in Oratione; si tamen id facere velis, sic præstabis. Primò potest sic concludi: Illud moneo, ut non secus è tenui Oratione tanti Herois decora æstimetis, quàm ex umbra Sol deprehendi possit.

Secundò sic; Illud apprecor, ut digna hoc munere, quod sustineo: digna Principe, quem adoro pariter & adorno, digna eruditis auribus ad finem usque contingat Oratio.

Tertiò sic: Et quia non eum nactus es Oratorem Princeps Maxime, cui tutò laudationis Tuæ munus committas; illud maximis, quibus orbem illustras, prodigijs non postremum adjicies, ut ipsa etiam loquendi rudis, de Te loqui aliquid possit Eloquentia.

Quartò sic: Atque utinam palmare aliquod ingenium id aggredi tentasset, jam Tu quidem eò pulchriorem præcerpsisses lauream, quò minùs à jacente tenuíque ingenio delibatam. Sed Tuæ id imputa amplitudini, quòd nostra illi succumbant ingenia, omnem eorum industriam rerum magnitudine superanti.

Quintò sic: Tu quidquid de Tua humanam prætervecta sortem gloria minus dixero glorio-

sè, de fortuna meritis ſuppare minùs fortunatè; vel Tuæ ſuccenſeas Fortitudini, vel oratoriæ imputa tenuitati, nondum eam aſſecutæ gloriam, ut res ex earum merito pertractare poſſit.

Sextò ſic: Quodſi eruditas audientium aures, grandius à me aliquid præſtolantes, ſpe excidere, votis elabi contigerit; non tam vitium Oratoris credite, imbecillitatem Eloquentiæ tantæ moli ſuccumbere, quàm Principis facinoribus ſuâ mole quemvis Atlantem, in quemcunque Cœlum hoc inclinaverit, oppreſſuris.

III. Aliquot modi exordiendi in genere Panegyrico.

Ut alibi, ſic in genere Demonſtrativo Exordia nunc apud pleroſque ità fiunt, ut primâ ferè ſtatim periodo ſit Propoſitio, ut ex illa ſtatim Orationis materia dignoſci poſſit. Sic in Feſto S. Stephani, Ferrarienſis: Infantis DEI Regium Caput coronari decet. Quæ poſſit autem Stephano corona aptior inquiri, cujus vel ipſum nomen corona eſt? ſi coronorariam ejus virtutem magis quàm nomen oſtendero &c.

Aliàs Primò exordia Panegyrica duci poſſunt à modeſtia laudandi Herois, qui agere laudanda magis quàm laudari malit. Tale illud exordium in funere Duciſſæ Oſtrogienſis in Panegyrico inſcripto, Gratiæ Parentales.

Ergo vel hodiernam demum ſuſtine laudationem, plurimas olim merita, nullas audire paſſa Panegyres, Heroinarum maxima. Hodie tan-

tandem illa mortuam Te assequatur Gloria, quam, cùm nihil non gloriosum faceres, unam in vita fugiebas. Discat ex Te orbis veræ laudis tramitem, quæ rectissimis semper itineribus ad Immortalitatem contendisti. Pallet quidem nunc etiam, credo, ad ipsum gloriæ nomen erubescere olim assveta Tua Modestia; sed hìc denique summa mereris Elogia, ubi pro universis meritis unicum exposcis silentium. Eorum duntaxat funeribus, tacendi relinque inferias, quibus ad dicendi materiam satìs est nomina reliquisse. Nesciunt miseri ità demum se inglorios apparere, quòd hoc uno stylo laudari debeant, quo cuncti possunt. At verò in dedicata Tibi Panegyri, nemo suas virtutes expectaverit: nam à solitis cæterorum præconijs, ipsa Te gloriosè factorum longè discrevit insolentia.

Aliter laudem à Modestia laudandi incipit Juglaris, dum Albricium (ùt habes supra) laudes aspernantem Encomiasticè sic reprehendit: Si Tua laudes Modestia respuit, tolerantia que-rimonias admittat. Quòd in nullo accusari valeas, reus es &c.

Secundò: Exordium duci potest à Modestia Oratoris, ingenij sui viribus diffidentis. Vel à rei magnitudine ac timore Oratoris. Sic Theodosij Orator incipit: Si quis unquam fuit, Imperator Auguste, qui initio dicendi trepidaverit, eum profectò & me ipse sentio, & qui circumstant, videre possunt. Nam cùm Te semper ultra omnes retro principes laudari oportue-

rit

rit in ea urbe, cujus Libertatem asseruisti armatus, & auxisti dignitatem togatus, quo tandem modo &c.

E contra alius absque metu Oratoribus solenni orditur: Primum id Tuis in laudibus beneficij genus, velut præsens certúmque prosperitatis omen capimus, quòd solenni illa Oratoribus trepidatione Tua nos absolvat celsitudo. Neque enim veremur, nè aut styli difficultate officiamus virtutibus Tuis humanum semel prætervectis fastigium, aut non ex merito dignitatis Tuæ videamur loqui; non ignari, Illustrium virorum acta neque à scriptoris magnitudine grandiora fieri, neque à tenuitate laudatoris capere detrimentum. In hoc potiùs elaborandum nobis, nè ità de Te scribamus, ut idem de alio scribi possit.

Tertiò, Exordium bene ducitur ab Allusione ad Allegoriam in Oratione tenendam.

Item Exordium pulchrum est, si quid afferat, quod insperatò percellat Auditorem. Ut in die Pentecostes: Adsum incendij nuntius, quo Hierosolyma & orbis conflagravit. comes enim flammæ, validior ventus, longè latéque sparsit incendium. nec tamen opem imploro, sed ardorem gratulor: non enim Nero trabeatus ustor feralem subdidit facem; at ipse ignem injecit Amor hominum DEUS: DEO autem ardere beatum est.

Quartò, Exordium à temporis & festi Circumstantia in Pentecoste Ferrariensis. Dictorum

rum apud Te, verecunda veneratio elingvem me faceret, nisi Divinus è Cælo Ignis, efficaces in lingvas liberaliter pluvius inflammaret ad loquendum. nec enim inerudito cuiquam deesse patitur Orationem eruditam, Cælestium affluentia lingvarum. Equidem ex eo lingvarum numero, non centum mihi (quod canorum Poëtarum votum est) sed &c.

Quintò, Ab affectu congruente tempori, bene inchoabitur Exordium. Sic idem Ferrarius orditur in die Parasceves: Erumpe tandem, erumpe, qua licet, ex ore, ex oculis, sinè Rhetorum fuco incomptus, sinè partitionis ordine incompositus, Deo moriente Parentalis Dolor. Leviter enim dolet, dolorem quicunq; suum potest ordinare. Hæc una tristissimam decet orbitatem Eloquentia, confusa cum rerum universitate flebiliter tumultuari &c.

Sextò, Exordium potest desumi à Circumstantia Loci vel Personæ. Non inscitè quispiam apud Cæsarem orsus: Qui apud Te audent, Cæsar, dicere, magnitudinem Tuam videntur ignorare; qui non audent, bonitatem, &c.

Septimò, Si propositio est incredibilis, augeri potest in Exordio rei incredibilitas.

IV. *Aliqua ad Confirmationem Panegyricam.*

DUplex est Confirmatio Panegyrica, alia in qua virtutes & facta alicujus Oratoriè recensentur, & hæc Confirmatio est continua Narratio

ratio Oratoria; alia in qua Propositionis probandæ argumenta aliunde sumuntur.

Ad secundum modum juvabunt dicta de Combinatione argumentorum.

Ad Primum juvabit 1. virtutis cujusque pulchritudinem in genere tractare, antequam eandem in Mecœnate Tuo vel Principe dilaudes.

Juvabit 2. Eundem Principem conferre aut præferre alijs, qui in hac virtute excelluere: ut ille: Habet suæ laudis æmulum Cæsar, habet & Pompejus, qui re non stylo testati plurimum in celeritate esse momenti, &c.

Et ille; Mundo Facem restituere, nescio an duobus contigerit, nisi Tu alter sis, Imperatoribus: diu vel in Augusto Sangvine requisijmus Augustum.

Juvabit 3. Digressionem instituere in laudem Majorum vel affinium Principis laudandi; vel Aulæ ac Comitum.

Juvabit 4. Omnes singulariùs ad ejus laudē spectantes accuratiùs & argutiùs decurrere Circumstantias.

Juvabunt & illæ Panegyricæ Transitiones in Confirmatione usurpandæ.

1. *Staret hic admirabunda Oratio, si & Tua stetissent trophæa, verùm hæc expungis animo, qui prodigiosè facta majoribus continuò factis deles &c.*

2. *Non intrà hos fines stetit Tua gloriæ amplitudo: nisi enim in plura se ornamenta diffunderet, à Te angusta judicaretur &c.*

3. *A Civibus quidem Tuis humana æstimantibus deesse videbatur, quò Tua virtus ascenderet, nisi Tu re & factis ultra cogitationes mortalium progressus, jucundam, ævo nostro ignorantiam objecisses &c.*

4. *Plura ejusmodi memorarem, sed Orationem admirationémq; absorbet Tuorum facinorum immensitas &c. Vel: Prodigium foret si omnia penè referrem &c.*

5. *Verùm hoc Tuis in factis admirationem habet præcipuam quod &c.*

6. *Atq; utinam Tibi gemino hujus ævi Trajano parem dicaremus Oratorem &c.*

7. *Credentne posteri te nihil ut impetres agitasse, nisi quod merueris, & parueris?*

8. *Aliud ex alio mihi occurrit, quàm enim speciosum est &c.*

9: *Est regium, Imperator, ac Tuum, collapsam exercitûs disciplinam reducere &c.*

V. Aliqua ad Perorationem Paneg. &c.

HÆc aliquando desinit in apprecationem & votum. ùt illa: Illud ad extremum apprecari libet, ut nobis tales sæpiùs oriantur soles, vetales semper occidant &c.

Aliquando constat Gratulatione tot decorum, quæ in Confirmatione memorâsti, vel laudato Principi, vel patriæ aut Familiæ. Ut Tullius: Gaude Tuo tam excellenti bono, fruere his gloriæ insignibus &c.

Aliquando continet Adhortationem ad simi-

lia

lia facinora. Ut: Haberis domesticum ad exemplar, illustre ad æmulationem exemplar; discite rectissimum ad immortalitatem nominis iter, & cùm tantæ gloriæ vos amor ceperit, parium facinorum studium unà pectus animúmq; incendant &c.

Aliquando excusationem Oratoris continet, quòd rem non ex merito tractaverit.

Aliquando laudatis virtutibus Principis, potest trophæum erigi vel colossus. vel cedro inscribi possunt nunquam obliterandæ.

Aliquando ex opportunè oblata Circumstantia ad conticendum concluditur Panegyris. ùt in Annunciatione: Sed quia Orator Angelus felici usus peroratione, terris excessit, loqui desijt; mea quoque Oratio tacente in utero Virginis Verbo conticescit.

Et alibi in eodem festo: Plura in præsens dissererem, nisi cùm Verbum utero includitur, mihi pariter esset concludendum.

Et de Passione Domini, ubi materia est: Pro sangvine lacrymæ Peroratio: sed finis sit: nil enim lacrymâ citiùs arescit. vos tamen sic arescite doloris lacrymæ, ut in Amoris flammas transeatis.

§. IV.

Modus rarior Orationis eruditæ.

QUi in eo consistit, ut id quod mente concipis Oratoriè efferendum, tuo quidem sensu ac re-

ac rerum nexu à te præconcepto, sed alienâ phrasi totum efferas, & varijs auctorum sententijs ad tuum sensum exprimendum accommodatis, & per singula pœnè commata mirè concatenatis. quem modum tenuit Lipsius in Politicis. Modus hic rarior, quia multæ lectionis, comprehensionis & memoriæ scriptorem requirit. Exemplo hunc modum illustro. Sit illa sententia vel potiùs Oraculum Apollinis datum Philippo Macedoni dilatandum: Hastis pugna argenteis, & vicisti. Sic illud dilatares, ùt appono; ubi primò ponitur auctor Oraculi, deinde expositio, tũ Causa oraculi & Exemplum; demum Peroratio,

Hastis pugna argenteis, & vinces,
Oraculum Apollinis.

ITerum Apollo *tripodem movet*, funditque oracula. Insanam auri orexim & *Demosthenis argentanginam* redarguit, dum Philippo nova contra Græciam tela ingerit, de quibus

- - *secreta ausus Cirrhaa moventem*
Sollicitare Deum.

Quodsi ejus *Oraculis Chrysippus totum implevit volumen tum obscuris, tum falsis*: tamen haud Macedonem - - *Phœbi cortina fefellit*, dum illi daret *non in arena consilium*, sed extra arenæ aleam, novam Marti adderet solertiam. Jam non uno fuit Græcia, &

- - - *lento collisa duello*;

Sed adhuc *movebat lacertos, nè deesset, quod* Philippus & aurum *vinceret*. Delphos navigat hic bella-

bellator; & exquirit, quid - - *Delphicæ laurus moneant*; cùm è tripode *Emicat vasto fragore major humano sonus, nec mortale sonans*:

Argenteis, inquit, pugna telis, atque omnia vinces.

Ad arma, Philippe, nec semper ferrea, sed aurea quandoque. *Vincat auro, qui nequit ferro.* Non semper catapultis aut ariete bellico pulsanda mœnia, meliùs illa *subruit onustus auro asellus.* Canat palinodiam, quisquis cecinit:

Non auro, neque tinnulis Pugnandum Phaleris.

vel, quòd *Formosa fortes arma timeant viros, Frangique nolent,*
nam hic Vates Phœbo & Oraculis se opponit. *Amentatæ hastæ* sunt, quæ argenteæ; ac *Baleares fundæ* acies fundunt feliciùs, si *Midæ contactus aureas effecit.* Sit *nocens ferrum*, sed opes &c. - - *ferroq; nocentius aurum* bellúmque vincit, *quod pugnat utroq;.* Imò - - *Solo melius omen in auro* - - *per medios ire satellites*

Et perrumpere amat saxa, potentiùs
Ictu fulmineo.

Etiam, *cùm spei nihil est, sumit arma formido,* Si formidinem animet aurum, quod hostem exanimat oblatum *eidem ceu aurum Tolossanum.* Nempe si Solo *fulgore armorum hostes sæpiùs terrentur*, id quod docuit Cimbricus ille domitor & Jugurthæ, *dum acie conversa in Orientem, ex splendore galearum ac repercussa quasi ar-*

ardere cælum videretur; quid non arma præstabunt aurea cominus illata & oblata, si tantum feriunt eminus intentata? Vincit profectò hodiéque, ac in deditionem - - *mortalia pectora cogit Auri sacra fames*, nihílque *tam Sanctum quod non violari, nil tam munitum quod non expugnari, nil tam firmum, quod non frangi ac debilitari pecuniâ possit.* Plerisque *si bene olet occasus hostis*, non minùs *bonus odor lucri* nummíque, qui vultures istos ceu putris cadaveris odor trahat, cujus gratiâ - - *Impiger extremos currit mercator ad Indos.*

Nimirum latè imperat avaritia & Causa - - *suavior ignibus Æthnæ* - *fervens amor ardet habendi*, qui omnia *post nummos* habere persvadet, modò inexplebilis avaritiæ sitis expleatur, quam tamen difficiliùs impleas *quàm dolium Danaidum*. Exempla: Et audijt Philippus Apollinem, profecítque plus *dando postea quàm bellando*, in quem etiam vulgo jactatum illud, *Non Philippum, sed Philippi aurum Græciam subegisse.* sanè hic - - *callidus emptor Olynthi* in eam urbem situ & arte inexpugnabilem *aureo asello* invectus, apprime guarus, ùt *Atticus vel moriens manum porrigeret*, quæ lucris insvevit undiq; captandis, atque adeò apud Atticos etiam

Auro pulsa fides, auro venalia jura.

Fidem postea fecit Oraculo Roma vetus, in qua non vano illius Numidæ convitio *ferè omnia venalia, & Vrbs ipsa venalis, si emptorem haberet,*

ret. Peroratio. Ergo quantumvis *virtuti confidas, tamen dolum hunc* Apollinis & Philippi *virtuti misceas.* Nec audi, si quis svadeat *non fraude, occultis, sed palàm & armatum hostes ulcisci*; non inquam audi; nam *belli furta* dolúsque militaris *pulcherrimam laudem habet.* hinc *Spartæ Duces si rem dolo confecissent, bovem immolabant; gallum, si* prælio; Majorem victimam pro victoria quæ sinè sangvine, *cujus* etiam *vilissimi parsimonia dedecet* Principem. Sic *etsi pugnacissima, digniorem magisq́ homini congruam* vincendi rationem *censebat Achæa* natio *ratione ac mente institutam, quàm illam per vim ac robur.*

Ergo licèt in argento dolus sit, tamen hunc adhibe saltèm cùm hostem ægrè frangere potest ferrum.

CAPUT X.

Ultima laudatioris Eloquentiæ Fundamenta, Numerus Oratorius, & excellens Decorum.

DUo hæc Fundamenta Mirabilis Eloquentiæ, ultimo quidem loco posui. sed Principem locum apud Oratorem obtinent. In oratore Cicero nil magis exigit & commendat, quàm geminum hoc Orationis sidus. Multi hâc laude, ideo & Eloquentiæ laude caruere. De illis nos hìc aliqua.

§. I.

§. I.

Numerus Oratorius

EST apta, concinna & in pronunciando quibuſdam temporum ſpatijs dimenſa verborum collocatio, ac Sententiæ quodam auribus non inſvavi circuitu comprehenſio. At hìc aurium judicium time, ſi hoc eas lenocinio non delinis. Quod nè incurras.

Obſerva Imò. Numeroſam Orationem ex Natura ſua facere quaſdam Figuras; ùt ſunt Antitheta, Comparia ſimiliter cadentibus permiſta. Patet id in illo Plinij: Tantúmque in ore ſangvinis, quantum in animo pudoris.

Et in illo de Galba: Durus alijs, ſibi mollis; metum exegit, odium extorſit, tam omnium timore dignus quàm odio: ſed dum fictis armis mortem provocat, veris mercatur. Diſce lector: Mortem non ſpernant, qui mori timent.

Et illud numeroſum: Arbor Indica innumeris apta uſibus, dat truncum in latera, ramos commodat in remos, comam in vela, in rudentes aſſamenta, clavos præbet, fundit oleum, funditur in ſuccos, liqueſcit in remedia, flectitur in umbracula, excreſcit in trophæa, aſſurgit in coloſſos. Item illud hinc numeroſum eſt: Cælo è virtutibus, Patriæ de trophæis, hoſti è ſuorum ſtrage ſæpiùs, è pugnandi Solertia ſemper notiſſimus.

Obſerva ſecundò: Ad numeroſam Orationē plurimùm conducere, non continuò brevibus

multis aut tardioribus plurimis dictionibus cola & incisa instruere, sed si permisceantur pedes longioribus breviores, & è contra alternis sæpè spatijs.

Patet id in illo Ducis Encomio: Orbem non pedibus magis, quàm victorijs peragrasti, ità ut cùm tribunum ageres, esse interim Dux posses, nihílq; dicendum amplius haberes tempore docendi. Quantò magis prædicanda moderatio Tua, quòd innutritus bellicis cladibus pacem ames; victoriam putes nisi (quod pulchrius est triumphis omnibus) vincendus nemo superfuerit.

Observa tertiò: Clauditur periodus numerosè & svavissimè Cretico Dichoreo. v.g. Bellum Paci turbidæ præferendum; vel Cretico Dijambo. v, g. Aut esse immortalem, aut gloriosè Principem decet mori.

Vel Cretico Dispondeo aut Epitrito 4to, vel Imò, 2do. v. g. Læta tristibus permiscentur.

Vel Cretico & Dissyllabis binis quibusvis dictionibus. v. g. Nemo injustus alijs carnifex, justus sibi.

Vel Dactylo & Ionico minore. v. g. minima non aspernabere, qui maxima meruisti.

Vel Spondeo cum Dactylo. v.g. Prævisa mors malos terret, non corrigit.

Vel Dictione Dissylaba cum Ionico majore. v. g. Lucus & sylva non lucet, nisi flagraverit.

Vel Anapæsto cum trissyllaba dictione media longa, v. g. Ebur Elephas ministrat, &c.

Ob-

Obſerva 4to: Ad numeroſam Orationem facere, ſi Sententiæ ſuccinctè, rotundè cum paulò antè dictis obſervationibus fiant, ut ſunt prædictæ, & hæ: Bonis nocet, qui parcit malis. *Et*: Prodigæ largitionis comes eſt pœnitentia. *Et*: Bona primordia rarò ſimili exitu coronantur.

Obſerva 5. Ingratum terſis auribus eſſe colliſionem & concurſum frequenter ſibilantis; aut caninæ literæ; nec non frequentem vocalium concurſum, quo hiulca redditur Oratio, & os hians perpetuò. Deniq; videndum hìc, nè mancum quid ſit in periodo, nè quid ſuperfluum.

§. II.

Admirabile Decorum.

DEcorum Græcè πρέπον ſi obſervetur, admirationem parit; ſi non, judicij defectum arguit, deſtituit omni laude.

Ad quod videndum ſedulò, quid loco, quid tempori, quid Perſonis conveniat. Alia Duci Oratio, alia Togato Principi accommodanda. Alia furenti, alia pacato; alia poſtulat tempus lætum & proſperum, alia res afflictæ.

Iræ ſtylus brevis eſt & conciſus, & ipſe cum furente furit: Item ad Decorum ſpectat maximè, non congruam tantùm Orationem & ſententias, de quo prior præceptio: ſèd etiam congruos accommodare affectus perſonis & rebus.

Item Decorum ſervabis faciliùs, ſi ad omnes Circumſtantias te accuratè reflexeris, nè contra aliquam exorbites.

Hactenus Admirabilis Eloquentiæ Fundamenta, quibus primò positis facilè tota Mirabilis Eloquentiæ moles assurget.

Pars Altera.

De Speciebus cultioris Eloquentiæ.

UT non unum in Orbe prodigium post Septem orbis miracula; ità & multiplex Eloquentiæ Species, quas propono.

Caput I.

Prima Species cultioris Eloquentiæ.

Eloquentia Extemporanea seu Subitaria.

§. I.

Laus Extemporalis facundiæ.

SUbita & extemporalis Eloquentia per se admirabilis est, estq; indicium animi celeres à natura ingenij motus consecuti.

Scio quidem Fabium hoc Eloquentiæ genus, extemporalem garrulitatem & circulatoriam jactationem vocitasse: Scio Plutarchum Orationes ex tempore prolatas initio & fine destitutas censuisse: Scio quantum Sapiens Epictetus à subitò fundenda Oratione abhorruerit: Magnum enim (inquiebat ille) periculum est, nè, quæ non concoxeris, evomas. id quod etiam Aristides ab Imperatore ad subitarium hoc dicendi

di genus invitatus, reſponderat: Hodie, inquiens, propone, cras audies: neq; enim ex ijs ſum, qui vomunt, ſed qui accuratè faciunt: Scio quidem hæc, ſed tamen his extemporalis facundiæ cenſoribus, alteram oppono aciem. Equidem Atticus Herodes ſubitam Orationem potiorem Conſulatu dixit, aut à Conſulibus ductâ origine. Extat invidendum Vinicij Elogium, quod illi Auguſtus dederat: Unus (inquiebat is) Vinicius ingenium in numerato habet. Is ille eſt Vinicius, quo (teſte Senecâ) nemo in agendis cauſis ingenium habuit præſentius, & quidquid ei longa cogitatio præſtitura erat, prima intentio dabat; ex tempore cauſas agebat.

Nec origo ſubitæ ac fortuitæ hujus dictionis eſt ignobilis. Eam aliqui ad Anaximenem referunt Alexandri in Eloquentia Magiſtrum, & hoc huic Eloquentiæ ſufficeret ad gloriam. Alij Æſchinem Demoſthenis æmulum, Periclem alij Athenarum Ducem malunt, à quo promtæ Orationis fontes promanarint. Sed verius eſt, ut Princeps in ea reputetur Gorgias, cujus rei ingens id argumentum, quòd ille primus Athenis in communi theatro dicere ſit auſus ſolenne illud: Proponite; teſtatus hoc unico verbo, ſe paratum de re quacunque, cui ſuis libuiſſet, dicere ex tempore. Crevit poſtea immenſus ardor, & hujuſmodi laudis cupiditas; hinc in hoc genere excelluit apud Græcos Polæmon, Scopelianus, Favorinus, apud Latinos Iſæus declamator, qui ſemper dixit ex tempore, ſed quaſi diu præmeditatus.

Laudat cujuſdam volucre & Extemporale ingenium Strada, qui Cardinalis Medicæi juſſu de Mole Horarum per ſonum indice ſeu Horologio pegmati impoſito ſubitarium carmen dixit magno exceptum plauſu & aureâ torque honoratum. Eſt autem hoc:

Hæc, quæ metitur vocalis tempora moles,
Cum Cœlo tacitum, credite, fœdus habet.
Nam, Cœlo Sol quidquid agit noctéve diúve,
Inſcriptum tereti machina fronte refert.
Artis opus miræ: ad terram revolubile plumbum
Nitiitur, & ſpiris trochlea verſat onus,
Tempore ad hoc motus: nam dum vi vertitur axis,
Dentatas cogit mordicus ire rotas.
Morſu illo implicitos obverſósque orbibus orbes
Pendula ſuſpenſo examine libra movet.
Æneus hinc monitor turri ſonat, & ſimul horas
Mobilis inſcripto lingula in orbe notat.
Dividit hic index vitam, totámq; minutim
Concidit, ſolidum dilacerátq; diem.

§. II.

Specialia Extemporalis Eloquentiæ comparandæ ſubſidia & Præceptiones.

EXimium ex tempore Oratorem nè quis impoſſibilem putet, hìc illum idoneis ad ſubitum facundiæ genus inſtruam ſubſidijs, modíſque illius comparandæ.

Primum

Primum.

Extemporaneæ facundiæ subsidium.

EST exercitatio, tum privata domi, tum in umbratili utcunque peritorum consessu. ubi & excitet Auditor studium, & pudor ipse verba ministret. Privatam ergo præmittes publicæ exercitationi Demosthenis ad instar, qui antequam Athenis causas ageret, delituit in speluncâ, ibi & vitia naturæ corrigens & actionem exercens. Et tu assume privatim Propositionem vel materiam quamcunque, & de illâ solus Orator & simul Auditor, declamator & arbiter ex tempore age, ea tunc proloquens, quæ in rem propositam non præmeditate occurrent, idque sæpiùs. Juvant ad hanc extraordinariam exercitationem aliæ, quas sumpto ad dicendum spatio instituimus. Faciliùs enim gladium vibrat qui assvevit.

Secundum.

Extemporaneæ facundiæ subsidium.

COnquirenda hujusmodi Oratori subitario antea per multam lectionem sylva rerum & verborum ac multæ eruditionis; quò collimat longus studiorum labor & evoluti tot auctores, & excerpta ex illis seu adversaria sæpiùs lecta & memoriæ impressa, ex qua velut ex cella penuaria depromas opportuno tempore quæ congesseris. Instruenda ergo est lectione memoria, multis Historijs, Exemplis, sententijs & omnis generis

neris Eruditionibus. Talem fuiſſe & Gorgian indicat ejus ſolenne: Proponite. id eſt de quocunq;

Tertium.

COmmunes dicendi locos quàm exploratiſſimè habere par eſt. quo refero non tantùm locos Oratorios intrinſecos & extrinſecos; item locos ſvaſionis & diſſvaſionis, nempe Honeſtum & Inhoneſtum, poſſibile & impoſſibile, facile & difficile, delectabile & jucundum, utile & incommodum; ſed etiam notitiam eorum quæ ad generalia nomina virtutum & vitiorum, affectuum & eventuum, belli & pacis, vitæ & mortis, artium & habituum pertinent; ità ut horum naturam & proprietates, & de illis pleraſq; ſententias ac Eruditiones in promptu habeas & memoriâ retineas, quibus uberrimè colligendis non defuere decora, ſeduláque ingenia. Quæ quidem notitia facilem tractandæ materiæ rationem amplámque ſuppeditat; facilem, quia nil faciliùs quàm proferre, quæ in radice prænoveris; amplam, quia quæ communia ſunt, facilè tum rationibus, tum ſententijs ac eruditione varia dilatari poſſunt.

Quartum.

ESt, ſi locus extrinſecus Exemplorum & Teſtimonij, Symbolorum, Sententiarum; & locus ſimilium ſeu ſimilitudinis ad rem accommodatæ frequenti exercitio reddatur facilis & expeditus juxta dicta ſuperiùs de uſu horum. Si enim ſumpta ad rem ex tempore declarandam

Ora-

Oratoriè Sententiâ, vel instar Chriæ progredia-re, exponendo illam Sententiam, eandem à Causa tunc occurrente roborando, à Contrario, Simili, Exemplo &c. & amplè & non sinè admiratione ingenij, faciléque intentum perficies. Vel si Sententiam assumptam aliquibus inductionibus in particulari illustres; item exemplo, Historia, Symbolo, Hieroglyphico Apodosim accommodes, non sinè aliquo Apodosim fulciente, quod tunc occurrit, argumento; nil facilius nil laudabilius præstiteris.

Sic nonnemo è Proceribus Polonis novi Regis Electionem Rege adhuc superstite omittendam svasit, discursu & impetu sumpto ab illa Sententia: Res est solliciti plena timoris Amor; unde intulit: Ab electione novi Principis supersedere, svadet noster in superstitem Principem amor. Amamus quem semel elegimus, & diu incolumem, diu felicem nobis imperare volumus, quod meruit ejus in Patriam Amor, meruere vigiliæ & trophæa, &c.

Quintum.

OPportunè occurrens & adhibita ad propositum Allegoria deducta à re, cujus proprietates & multæ sint non ignoræ, & proposito servientes: item Allegoria erudita per Comparationem cum Camillo, Cæsare &c. Quo spectant ea quæ suprà *cap.* 4. de Allegoriæ usu tradita. Certè hoc subsidium insigni & volucri ingenio est insigne, & quod extemporale Elocutionis genus exornare possit.

Sextum.

Subitariæ Eloquentiæ ſubſidium.

SUnt quidam peculiares loci oratorij intrinſeci, nempe, Partium enumeratio, Effectuum & Conſequentium congeries, ſimilitudines, Comparata, & Contraria. Nemo diffitebitur, hæc per ſe amplam & ingenio etiam mediocri facilem primo etiam intuitu & breviſſimâ reflexione mentis ad hæc adhibitâ offerre dicendi materiam.

Sic ingreſſus Hortum floridum nonnemo, ex tempore in ejus laudes à partium enumeratione excurrit.

Hodie tandem mihi Hortenſius videor, dum hortenſe mihi proponitur argumentum. Imò cùm theatrum & ſcenam flores inſtruant, videor mihi Roſcius inter roſas. Age ſi quid florum, ſi quid Attici coloris & gratiæ reconditum geris Eloquentia, totum in hujus Floræ ſinum & encomia effunde. Quid hîc non aſpectabile? areolas vide: in illis herbeſcens viriditas intermicantium florum varietate velut artifici naturæ penicillo depingitur. Quæ illa roſarum purpura? quæ in areolis deſcripta candentium florum ſerie via lactea? quantus liliorum fulgor? quàm excelſa ſpecies? ùt majeſtate cinctum caput! ùt argenteorum foliorum ſtriati ordines! ùt paulatim in amplitudinem ſe explicant anguſtiæ, ùt reſupina per ambitum labella, ùt delicatiſſima

quæ

quæ interiùs emicant fila ! ùt filorum ſtantia aureolis crocis capita ! ùt odor, ùt candor eximius etiam me tacente florem hunc prædicant! Quid arborum minantia Cælo capita? quid pulchram in ijs foliorum luxuriem, fructuum abundantiam eloquar? Hìc malus Perſica &c. hìc platanus diffuſis latè ramis ſolis æſtum defendit, hìc vites diffusâ corymborum luxurie molliter înſerpunt collibus: hìc melliti avicularum cantus, & grata rivi decurrentis murmura &c.

Sic etiam à ſimili Gratiarum actoriam Orationem ex tempore diceres, Mecœnatis beneficia cum radijs à ſole præmicantibus conferens; vel certè manum illius novum in terris Cornucopiæ, aut Nilum non uni Ægypto ſalutarem asſerens.

Sic item Svaſurus aut Diſſvaſurus aliquid Rhetor ſubitarius, primo mentis conjectu commoda & incommoda rei ſvadendæ vel diſſvadendæ occurrentia adduceret; ſicq; ſubitò à conſequentium & effectuum congerie peroraret.

§. III.

Specialiſſima ſubſidia Extemporalis Eloquentiæ.

PRimum eſt, ſi datâ quavis aut inventâ ſuprà dictis modis Propoſitione, ſubitò occurrentem tibi tunc rationem ad Propoſitionem ſeu Sententiam univerſalem reducas, vel ipſa ratio ſit Sententia Univerſalis, eámque primò extemporaneè proferas, ac Synonymis ſenſibus &

Comparatione aut Eruditione occurrente illustres, vel etiam, si opus sit, descriptione rei, de qua sermo, ùt est in Idea tertia; dein ad rem in particulari descendas. Qui modus eo ampliorem reddet Orationem extemporaneam, quo plures occurrerint propositionis probandæ rationes; quarum aliquas prædicto modo tractes, alias brevibus exponas. Exemplis id illustro.

Oratio Extemporanea,

QUâ ex tempore quidam svasit aut svadere potuit Dissolutionem vinculi seu Conspirationis Militaris Regno perniciosæ. Occurrit ei primo mentis conjectu hæc ratio ad svadendum id idonea: Quia nunc afflicta & exhausta Patria; quid ergo amplius affligatur & exhauriatur per Cives Patriæ? Occurrit & alia: quia id labem eorum nomini inspergit, eò quòd Ducum excusserint jugum &c. Has rationes subitò occurrentes ad universalem Sententiam mox perduxit. Primam ad hanc: si Patriæ Civi incumbit à Patria propulsare incommoda, certè in discrimen eandem inducere nefas, sed sui potiùs commodi quàm boni publici pati dispendium. Item non inhiandum Impendijs, ut Patria pessumeat. Ad quod confirmandum facilè occurrit paritas desumpta à filijs & eorum pietate in Parentes; tum Sententiæ, qualis illa: Publica privatis anteferenda bonis. Secundam similiter rationem momento temporis reduxit ad hanc universalem Propositionem: Stipendium Famæ pulchrius

chtius est quàm pecuniæ; & si ingrata est egestas militi, ingratior esse debet inspersa nomini labes.

Tum deinde ad rem propositam ab Universalibus his Sententijs illustratis descendit, sicq; pænè ex tempore dixit:

Arma tandem ponite, aut si ponere non libet, in hostile jugulum illa convertite. Redeat ad obseqvium, nec ultrà Principi Ducibúsq; datam fidem exuat toties victor hostiū, sui nunc etiam victor exercitus. Exhaustum ærarium, afflicta communis nostrûm omnium Parens Patria; quis illi novam luctûs materiam offerat? Ergo hostis deest, qui Patriam extingvat, nisi Cives id faciant? Non illum Patriæ Civem tantùm dixero, qui se natum in ea gloriatur, nisi ejus ut amet commoda, sic incommoda propulset: quid si eadem augeat etiam, & Parentis hujus filius ferro timetur viscera? Equidem nec filium se hic probat, nec Civem. Æneas non est, qui Anchisen tantùm abest ut è Trojano efferat incendio, quin etiam in gravius conjiciat &c.

Oratio Extemporanea contra Judicis avaritiam.

VElles Judicem muneribus inhiantem taxare ex tempore, & dissvadere inolitum illi vitium, occurreret tibi ratio: Quia hoc vitium non sinè judicis hujus dedecore ubique circumfertur. hinc rationem reduceres ad Universalem Propositionem illam: Oportet bonum vi-

rum à magiſtratu geſto evadere clariorem, non ditiorem. Quam Sententiam mox ſenſibus Synonymis exornares ſic: Seu Fortunæ ſeu meritorum calculo ad honorarios faſces evaſiſti, quisquis es, vide ut tuo nomini lucem non ab auro, cui perdirè inhias, ſed à factis, quibus inclareſcas, efflictim mutues. brevis ac evanida lux ab auro, perennis à virtute. Si affluant ſpontè munera, ſis inter hæc velut inter aquas Tantalus; ex illis nil præter Tui victoriam delibes. Si juri dicendo præes, Thebanum in Te judicem effinge, nec ad Spongiam Veſpaſiani aſpira. Citò effluunt divitiæ, quæ iniquiùs affluxere; & in aureos hos torrentes ſæpiùs egeſtatis ferreæ tempeſtatem inducit avaritia &c.

Idea. III.

VElles ex tempore à ſtudio militari aliquem retrahere, occurreret Tibi illud loco rationis: Dulce bellum inexpertis; quod variè confirmari poteſt à ſimili de navigaturo in mari tempeſtatum ignaro: de peregrinaturis, inſcijs viæ difficultatum &c. diceréſque orſus à belli deſcriptione ſic:

Nunquam ille mihi cominus hoſtem, nunquam eminus proſpectaſſe, nunquam belli adijsſe diſcrimina videtur, cui dulce ferrum eſt: Vidiſſet ille confertas hoſtium legiones, commisſos utrinque exercitus, conſertas utrinq; acriter manus, & clypeos clypeis

- - & pila minantia pilis,

Vi-

Vidisset circumvolitare tela, militares machinas fulminare, micare acinaces, umbones & arma obstrepere, fundi acies, certè poneret armorum studium. Sic nempe & flumini se committunt, qui nullis jactari procellis, nullis unquam vexati tempestatibus, vix earum nomina audivere; sed serò tandem ad litus aspirant, & navigandi studium ac temeraria vota damnant. At nec aliqui natalis auræ pertæsi Ulyssis instar orbem peragrare contenderent, si viarum difficultatem, asperitatem locorum, & immitem alibi cœli inclementiam in consilium adhiberent. Adeò pleraque in votis, pleraque sunt dulcia inexpertis. Hinc neque te miror tantoperè ad Martem Lechicum aspirare: nondum tibi experiri contigit, quod hic fugeres: Experiere, ac serò tandem Tullianum illud occines: Cedant arma togæ.

Idea. IV.

Diuturnam cœli & aëris inclementiam quidam in malum Patriæ nostræ omen trahens extempore à sensibus Synonymis id ipsum inculcans, ad illam moralem Sententiam deflexit: Cœli & aëris portenta sunt cœlestes minæ, & Divinæ vindictæ jamjam terræ imminentis indicia. Dixit ergo:

Timeat sibi orbis, cœlum illi minatur: timeat sponte in præceps ruens Patria, iratus hic cœli vultus (falsus utinam sim augur) secuturæ mox ruinæ index est. Odi quidem Astrologos, nec ipse

ipse Judiciariam profiteor; sed tam minax Cæli facies & verna hyems nescio quid frigido huic Septemtrioni ominis portendat. Atros in hoc Cælorum vultu velut In pagina lego characteres ferreo pænè stylo exaratos. Præter rerum ordinem omnia plagam ominantur præter ordinem. Rarò hanc frontem æther præsetulit, quin terram feriret; lugubrem mundi casum cæli tristitia antecedit; adeóq; mœror hic siderum, interitus humani quidam prodromus est ac prænuntius. Cœli & aëris portenta sæpe iræ cœlestis satellites aut prodromi fuere. Vidimus toties PrincipumRegnorúmq; funeribus crinitam cœlum accendisse facem, quæ imperio ceu plenæ bonarum mercium onerariæ ultimum subituræ naufragium, ùt nova in cœlo Pharus, sed fatalis præluxit. Adeò semper cælestes minæ, & prænuntia cladis portenta terrarum exilio præcurrunt. Quid ergo nunc &c.

§. IV.

Ostenditur in Praxi quomodo per Sententiam Universalem ex tempore dilatari possint Orationes huic seculo usitata.

PRimò, Salutare ex tempore velles magnum Hospitem, occurreret Tibi vel illa Sententia: Pars felicitatis est, magnorum Hospitum frui præsentiâ. Vel illa: Vix unquam summi Hospites sinè animorum serenitate transire possunt. Quas sententias si obiter confirmares vel simili ducto ab exortu solis tenebras depellentis, vel aliun-

liunde; jam tibi inde pronior esset ad hospitem laudandum accessus, seu virtutes, seu alia in eo decora dilaudes. Vel certè illa tibi occurreret sententia: Hospitum magnorum præsentia & animis hilaritatem, & lingvis inspirat facundiam, quæ duo tantò meliùs capiunt incrementum, quantò major est Hospitis amplitudo. Et mox descenderes ad particularem Hospitis laudem. v. g. Tuam certè magnitudinem etiam ipsa tuorum Majorum gloria testatur, testantur & Honorum insignia, quibus te adornat ac coronat virtus emerita, &c.

2. Eucharistica seu Gratiarum actoria oratio pari felicitate hinc desumetur. Sic quidam nuper à Rege evocatus & beneficijs præter spem affectus, nullum cogitandis gratijs spatium nactus, ad illud recurrisset universum dictum: Præcipua Principum dos est hostes ferro & armis, cives beneficentiâ expugnare. Quo loco, ut se offerret, illustrato; seipsum etiam sic expugnari hodie dixisset, velut in meta Regalis beneficentiæ positum &c. Vel illud assumpsisset: Solis ingenium in Principum manibus mentibúsque elucet, qui (ùt Soli quidam in symbolo adscripsit) Non exoratus exoritur. Et illi spargunt suæ munificentiæ radios etiam in immerentes. Nè à longè exempla petam, meipsum mihi nova sistit felicitas Tuáq; Regalis munificentia &c.

3. Etiam Gratulationes ex hoc fonte manant ubertimè. Ex tempore Gratulaturus Anni exordium vel festi alicujus celebritatem, reflectere te bre-

te breviter ad illam propositionem: Nullum sterile votorum aut plausuum tempus est amico vel clienti &c. Sed neq; hoc &c. vel illa sententia occurreret: Ipsum etiam tempus extemporalem subministrat facundiam, præsertim quod vel felicitatis auguria secum trahit, vel ea continuat &c.

Item gratulaturus Natalem vel nomen, haberes in promptu locum illum: Cujus vitam amamus, hujus & natales; ipsúmque adeò illius nomen aures delinit, animos demulcet.

Vel illum locum: Clientem te alicujus si libenter agnoscis, cum etiam clientem esse Cœlitum quidni gaudeas? Hâc verò tu Cœlitum Clientelâ &c.

4. Etiam Nuptialis materia hinc facilè ex tempore locupletabitur, si de amicitiæ & affinitatum commodis, de amici perennis pretio aliquid in communi præloquaris.

In oblatione serti v. g. illud adduceres: Propensis animorum studijs sua præsto sunt ornamenta, quibus amicum sibi caput coronent. Vel illud: Pulchrum vividæ, virentísq; semper amicitiæ Symbolum est, sertum virens &c.

In oblatione item Annuli illud occurreret: Annulus æternitatis Symbolum etiam in perennis amicitiæ pignus & arrham meritò assumitur. Vel illud: Annulo sponsalitio, velut aurea compede animi vinciuntur.

5. In funebribus vel maximè locus regnat communis: Nempè vel de Mortis decreto inevita-

vitabili: vel de mortis in omne hominum genus jure ac dura sed ferenda omnino Tyrannide: vel de fontibus Consolationis, quæ omnia passim habentur, & in Svada Civili vide.

6. Laus etiam subitaria hinc facilè eruetur. v. g. Hortum aliquem ingressus ejúsq; areolas mille florum generibus consitas conspicatus, illud ex tempore posses inquirere: Quidnam pulchrius, Stellæ in Cælo, an flores in viridario, de quo argumento sic quidam subitò:

Materia mihi dicendi obtigit illustris & florida. quid enim aut illustrius Cœlo, aut hortis vernantius? utrum tamen alteri præferam vel postponam, anceps hæreo. Si florem stellis præhabeo, in Cœlos injurius sum: si floribus stellas, in terram ingratus. Eligerem tamen terræ injuriam, maximè cùm Cœlorum stellarúmque influxus, tot terrarum germina mirâ virtute operentur. Sed facilè huic etiam herbarum florúmque virtutem quis opponat, quorum & succus salubrior fundit remedia, & color ac fragrantia sensus reficit ac restaurat. Quid ergo in tam ancipiti argumento dicam: an utrumq; potiùs efferam, neutrum præferam? Sed nec altiùs Cœlum efferri potest, nec flores postulant, quos in imum depressa tellus è suo gremio nec evelli patitur nec efferri. ut tamen utrumque efferam, vel illud me movet, quòd nec Cœlum absq; sideribus, neque hortos absq; floribus quispiam velit. Æquè viridaria florum coloribus, ac Cœlum Sellarum fulgoribus destitutum squalet, &c.

§. V.

§. V.

Aliud specialissimum Extemporalis facundiæ subsidium.

NImirum Circumstantiæ & adjuncta rerum, locorum, temporum, Personarum, de quibus dixi toties. Dicturus ergo ex tempore de quacunq; materia, brevi mentis conjectu, rei in Orationem cadentis proprietates & Circumstantias pulchriores & dilatatu faciliores atque acumini eruendo aptiores circumspicies, seu illas Allegoriâ investias, seu non; seu à loco communi huc serviente ordiaris, seu ab aliqua statim Circumstantia.

Modus hic est optimus facillimus & amplificandæ ac per acumina deducēdæ rei non sinè extemporalis ingenij admiratione perquā idoneus.

Exempla hunc Modum illustrantia suprà attuli, & nunc attingo. Sic Judices Delegatos à Circumstantia Temporis aliisq; salutavit ille: Redijstis tandem cum reduce Justitia. Incolas tamen hìc vos malim, quàm hospites; nec æstates hìc tantùm degere, sed ætates. Sæpius incusavi frigore pigram hyemem, sæpiùs lentos soles, qui huc redeuntia vobiscum diu negarunt solatia; donec Majus quovis Augusto major ea cumulatè affunderet. Vernare incipit urbs hæc pulchriùs, ubi vester illam afflavit fulgor Patricius, & Buzenianæ Rosæ fragrantia &c.

Sic & Gratulatio Nominis M. D. Adalberto N. ab ijsdem Circumstantijs feliciter ex tempore deducta:

Non

Non unus in Tui venerationem hodie nos impellit stimulus, totidem alios sentimus ingenijs admoveri, quot hastas Adalberto. Jam illis torquere desijt Tutelarem tuum Prussia, nos adhuc urget literaria urbanitas. Sua nempe nominibus cogendi etiam vis inest, maximè ubi summis (qualem te summa in foro Sarmatico testatur auctoritas) inhæsere &c.

§. VI.

Aliud Extemporaneæ Eloquentiæ exercendæ Medium, idq; facile.

FAcillimum etiam ausim dicere, Maximè si locus communis sit tibi dicendi argumentum. Tunc enim post elucidatã occurrente periphrasi sententiam, adhibitâ similium congerie & exemplorum in eo argumento passim occurrentium, res im̃odicè dilatabitur etiã ex tempore. Sic nonnemo dilatavit pene ex tempore, certè non præmeditatò illã sententiã: Multi ex humili emersere.

Emergunt subitò, qui delituere, fortunæ hìc ludentis ingenio admirabili. Nec natales obstant tenebræ, quo minùs quis solem videat; nec inopia, quo minùs Bactra vel gazam Persidis invadat. Nimirum è squilla etiam nascitur interdum rosa, è vili concha legitur margaritum, & incultæ montium venæ aurũ tegunt. I per ætates singulas, per gentium fastos memoriam circumfer, ubiq; occurret repentè trabeata egestas. Revise Romam, repentinæ sortis documenta offeret Quinctius Dictator ab aratro triumphalis agricola, qui

Sarb. *Fessos duxit herì boves,*
Dat magnis hodie jura Quirítibus,
Et qua bobus ademerat,
Imponit Gabijs & curibus juga.

Quid plura è nuntia Vetustatis historia repetam? Incunabula Tulli Hostilij agreste tugurium accepit: Tarquinium Priscum taberna institoria in Solium effudit: Servius Tullus è servo imperium tenuit: è taberna macellaria Varro ad Consulatum ascendit; plebeiæ primò fuerant Deciorum animæ: Septies Roma consulem ab aratro Marium vidit: item sinuatur in arcus, persæpè flectitur in trophæa, effingit Deorum simulacra è ligno Mercurius, qui Olim truncus erat ficulnus, inutile lignum; ùt venustè cecinit Venusinus. Agathoclem adhuc memora, & fortunam in eo veneraberis, cujus ille Rex è figulo memor identidem illud sibi occlamat:

Rex ego Sicaniæ figulo sum genitore satus.

Ad Polonorum fastos stylum & memoriam promoveo. Piastũ hi recolunt, quem à bobus ad regni regimen fortuna evocavit,eductum ex apum mellificio & horti cultura dulcem laboris fructum,regale pomum colligere. An & tu Premislae in solio? at priùs aurifaber quàm Princeps, tuæ tamen fortunæ faber, qui aureum tibi domestica in incude sæculum recudisti. Libet sacros etiam annales consulere? quoties Roma Piscatoris annulo vilem consignavit & extulit fortunam! sanè Xistum vidit coluítque è coriario Parente Orbis Antistitem; ùt Moguntia Villegisum

gisum thedario Patre oriundum, sed fortunæ rotâ impellente ad Septemvirales infulas evectum. Adeò ubiq; summis citò infimos subita fortunæ benevolentia exæquavit.

§. VII.

Reliqua Extemporalis Eloquentiæ subsidia.

TErtium Speciale subitariæ dictionis adminiculum est, si de quacunque materia dicturus, eandem brevi mentis ratiocinio in partes aliquot partiare, vel ad aliquot redigas argumenta: seu, si Distributione utaris Oratoriâ quoad fieri potest: hæc enim divisio jam materiæ dilatandæ promptitudinem præbebit; & si partes singulæ possint suis ex tempore firmari rationibus nervosiùs propositæ cum extemporaneis verborum ac sententiarum luminibus, luculentum eximij Oratoris dabunt argumentum. Quare ad certa aliquot puncta dicendam ex tempore Orationem redigas, & singula prosequere. Sic & Concio, sic & Votum seu Sententia in Comitijs, sic & pleraque subitò dici possunt. v.g. Propositio aliqua sit urgenda, occurrunt mihi brevi mentis conjectu ad eandem probandam aliquot argumenta; ergo illa prosequar. Item disparata, faciliùs in puncta partiere; non disparata distribue per plures causas, plura motiva, plures rei faciendæ vel consequendæ modos: plura exempla, effectus, plura incommoda vel plura emolumenta, vel plures rei faciendæ ideas.

Aliud ſubitariæ dictionis ſubſidium eſt, quod etiam ampliorem dicendi ſubminiſtrat apparatum; ſi res, quæ in materiam dicendi cadit, problematicè tractetur. Certè tantò hìc ampliùs ex tempore dicetur, quantò plures pro utraque problematis parte rationes ſubitò occurrentes adduxerit. vide exemplum in §. 4. ad finem de illo Problemate: Quid pulchrius: ſtellæ in Cælo, an flores in viridario?

Præterea illud inſigniter juvabit extemporalem facundiam, maximè ubi reſpondendum eſt; ſi bene teneantur memoriâ ab alio dicta, cui reſpondendum vel qui refutandus eſt. Nam ſi primò ſingula ab eo allata refutes, deinde occurrentibus inſuper argumentis tua confirmes, quis non videat te hic amplè ſubitò poſſe dicere?

Deniq; huc juvat, ſi rationes alicujus Propoſitionis occurrentes ad Syllogiſmum redigas; & ſingulas ſyllogiſmi Propoſitiones elegantiùs efferas, additis, ſi res patietur, rationibus Majoris & minoris Propoſitionis: ſic enim res amplè efferetur ex tempore, nec ſine laude.

Ut verò rem pœnè momento tunc præciſam, verba non invita & inſignior ſequatur elocutio, huc collimant exercitationes, huc lectio librorum, huc uſus frequens latinitatis; huc uſus Figurarum, Sententiarum vibrantium; huc denique Metaphoræ & Allegoriæ, quæ exercitato & volucri ingenio, facillimè occurrent, imò & rei Circumſtantiæ illas obtrudent.

CAPUT II.

Altera Eloquentiæ Admirabilis Species.

ELOQUENTIA

Versatilis in omnes partes, & in Species styli varias circumacta.

§. I.

NEc istud admiratione vacat, seu ex tempore versatilem Eloquentiam præteferas, seu præmeditatò & sumpto ad cogitandum dicendúmq; spatio sic possis dicere. Porrò ad præmeditantis Eloquentiæ Speciem hæc spectant, quæ totâ primâ parte attulimus. Hic nova Species Admirabilis facundiæ adstruitur bipartita: Altera quæ promptè ex prævio vel improviso dicere potest, tum in alteram partem æquè plausibiliter; tum in quacunq; Circumstantia & Materia multiplici. Altera quæ potest optimè de prædictis dicere hoc vel illo modo, puta stylo vel erudito, vel Allegorico, vel Sententioso, vel acuto, leni, vehementi. conciso, vel latè lucido, Attico vel Asiatico: nunc ùt loquitur Tullius, nunc ùt Plinius, nunc ùt Seneca vel Puteanus & alia eloquentum lumina. Hanc verò utramq; partem complexa nunquid admirabilis negetur Eloquentia? Certè tantò admirabilior, quantò rarior est, qui in utraq; parte excellat. In prima parte Excelluit olim Pericles & Gorgias; id enim signi-

ficat illud eorum: Proponite, id est de quacunq; materia; id enim indicabat paratos fuisse dicere de quocunque. Excelluit & Carneades, qui hodie Justitiæ mira congessit encomia, postridie mira vituperia. Excelluit & Demosthenes, qui proinde Bellum & Pacem in lingva gerere videbatur, quòd, utrum vellet, facilè persvaderet. Potest in talis Oratoris laudem afferri, quod Poëta de quodam ait: - - - - Partem
In quamcunq; voles, verte, decorus erit.

§. II.

Leges & Exempla in omnes partes versatilis Eloquentiæ.

TRia ad illam spectant. I. posse dicere promptè & laudabiliter in utramq; partem. II. posse similiter dicere in quavis Circumstantia. III. posse idem in quacunque materia.

I.

Quoad Primum.

JUvat ad hoc inprimis Exercitatio Problematica, quæ constet tum Inventione rationum pro utraque parte, & refutatione earundem saltèm apparente, ac proinde notitia eorum, quæ de confutatione traduntur ab Oratoribus, de qua infrà; tum prævio aliquo accessu ante sententiam & sententiæ rationes, in quo quæstionis augeatur vel minuatur difficultas, vel prout res exigit; tum in accommodatione styli & affectuum rebus in Oratione contentis juxta dicta Parte Prima. Sic

Sic primò si velis in utramque partem dicere de illa Quæstione: Quisnam meliùs censuerit, an Cato delendam Carthaginem, an Scipio Nasica servandam: Pro Scipionis sententia hæ rationes occurrerent; Quia deletâ Carthagine timendum, nè virtus Romana concidat, nè metu hostis maximi liberata luxu & otio enervetur; nolim Carthaginis ruinas cum Romanæ fortitudinis exitio ac interitu. Stet illa, nè hæc corruat. Adde, quòd eò securior Roma imperabit, quò minùs secura. Ipse nimirum periclitandi metus inter pericula eximitur, contra quæ assiduus ferri usus dimicat. At otium armorum rubigo est. Imò Tertulliano si credimus, plus Togæ Rempublicam læserunt, quàm loricæ. pacis enim tempore irruunt in Rempublicam omnia cum luxu vitia, cogimúrque tunc cum Juvenale dicere:

Nunc patimur longæ pacis mala, sævior armis
Luxuria incubuit, victúmq; ulciscitur orbē.

Nec Sparta hìc desipuit, certè urbem hostilem, quam eorum Dux evertere parabat, integram esse voluere Lacones, ceu cotem suæ juventutis. Hinc quoties oppidum infensum sibi viderant eversum, illam fortitudinis plenam dedêre vocem: Perijt luctatio juventutis. Ad has rationes accessum præfigeres. v. g. hunc: Amo Catonis animos, sed magis Scipionis sententiam. censuit ille fortiter, hic prudenter. Equidem malim salvam Carthaginem, si ruere nequeat salvâ Româ. At ita est &c.

Pro Catonis Sententia hæ se offerrent rationes: Cato mihi Catonisq; placet sententia, quia Romanis placuit, quia Scipioni. Non id ab illo desidia extorsit, sed quæ Catonem decuit, Prudentia. Si amamus Victorias, hæc demum est pulcherrima, non habere ultra, quem vincas. Adhæc summa est gloria, maximum hostem expugnasse: ùt inglorium, si à te nequeat fundi vinciq;: hâc verò gloriâ se Roma exuat? At quantũ malum est habere semper à quo tibi tuisq; timeas! eum potiùs dele, ut ipse ab alijs timeare. Nec Exempla desunt, sæpiùs hæc Roma dedit, nec dedisse pænituit. Tum auditam paulò ante Scipionis Sententiam refutares: Scipionis Sententia si alicui probatur, non certè Romanis, neq; mihi. Pulchra illa quidem, sed in speciem; præfert aliquid fortitudinis, sed non Romanæ. nescio si id non magis Romanum, ità orbem subigere, ut nullus hostis supersit. Quid enim mihi objicias Spartanos; quasi cum Romanis Sparta componi possit. Juvenalem non curo, qui de pacis longæ malis queritur; at eversâ Carthagine nondum pax æterna sequitur: alij nobis arma intendent aut inferent. Nec Afer ille contra Romanos, qui non unum hostem præter Pœnos habuere; adeóque virtus exerceri poterit etiam in alijs. En ùt Orator hic versatilis in utrumque!

Sic 2. Meliorem esse Electionem Principum in Republica, quàm naturalem eorum successionem, et è contra svaderes. Pro electione occur-
rerent

rerent rationes hæ : Etiam me judice imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus; nec genus tantùm ſed & merita coronari. Virtus pluris quàm natura habetur. Molle ad Principatum per cunas, molle per faſcias ad faſces regios iter, peſſimis etiam commune ad illos ſuffragium, naſci principem. Non tanti veneant coronæ, ut regijs natalibus inter crepundia emi poſſint, ſi Principem &c. Si Principem eligis, optimum & aptiſſimum Regno adlegere licebit, juſtâ ætate & ad regendum idonea. at ſucceſſio quemcunq; obtruſit ſolio, modò in purpuram genitus ſit; ſæpè obtrudet puerum, vel infantem, imò fæminam. Electio certè etiam Heroicis illis temporibus uſitatior, & Principatus pace ac bello, virtutis aut roboris prærogativâ æſtimati. Nec aliter ſumma in orbe imperia hucuſque. Sic Roma Cæſarem, ſic orbis caput eligit. Adderes nec interregni tempus à competitoribus metuendum magis, quàm damna ſucceſſionis.

Pro ſucceſſione Principum naturali occurrerent hæ rationes: Pericula interregni à tali regno procul, in quo nunquam poſſeſſorem Regnum non habet. at pericula illa majora mala trahunt, quàm imbecilla in imperio ætas. Juſtitia tunc & leges ſilent, vis & licentia valet plurimùm. Quæ tunc prenſatio & ambitio? per quas fraudes & artes? Germaniam vide; ubi extinctus Imperator, omnes in præſenti metu, Ipſa Roma in Sacrorum Antiſtite eſt, cùm hæc mala ſentit. Adde quòd charitas utrinq; major & ſub-

ditorum in gentium & sangvine Principem, & hujus in subditos veteri jure suos. Imò ubi regnandi fortuna consenuit in una stirpe, & hæreditario gentes continentur imperio; adeò vivit in posteris, ut vel cunæ puerorum in Purpuram natorum tacitâ confessione Sortis nostræ nos tangant, nec ijs parere dedignemur, quos priusquam lucem subeant, nasci novimus ad imperium. Tua Patria, sit Regũ Patria, nè alibi quærere cogatur Principem. Is sceptra capessat, cui vix nato, ad regale solium prosternit viam purpura.

Refutatio succederet. Optimi possunt eligi: sed etiámne eliguntur? si rem & experimenta vides, sæpè id falsum. Rara electio sinè privato cujusque affectu; nec Reipublicæ virum, sed sibi plerique eligunt, ut omittam corruptelas suffragia sæpè trahere, & rem geri promissis donísque, quæ neque meliori fortassis seculo excludas &c. &c.

II.

Alius Modus versatilis Eloquentiæ primo Modo acceptæ illustratur.

SEcundò Juvat ad eandem Eloquentiam coacervare simul in eadem Oratione Opposita in eandẽ rem tum ab Eruditione tũ aliunde petita.

Patet id primò in laude & vituperio ignis: Encomium igni orbis debet; sed nescio, an ullum sæpiùs incusarit elementum. Quot enim ille Urbium gloriam in cinere sepelivit? Urbes antea fuere, nunc pulvis exiguus, &, ùt ille ait, cada-

vera civitatum. Fuit, fuit ingens Ilium, fuere Pergama; sed vix aliunde magis inclaruere, quàm ab incendio sibi fatali & igne. hinc

Balde. Ubi stetere Pergama,
Nunc fluctuant aristæ.

Charthagini certè & Numantiæ non tantum Roma vel Scipio, non in fabulis orbi Phaëton, quantum nocuit flamma: nec Romæ tantum Nero impius, quantum ignis, qui dum Trojæ refert incendia, non unus ibi

- - - - proximus arsit
Ucalegon.

Adhuc suum Ephesus luget, imò orbis prodigium, templum inquam Dianæ, cujus famam tantillo tempore ignis extinxit. Herostrato sic volente, cujus nomen nè deleret posteritas, scelus effecit, quo solo inclaruit inter ignes. Nam Apellis labores si quæras, illustres illi; sed in igne illustriùs effulsere. Adeò ignis non unam ubique Trojam efficit! Sed parco vituperijs; nam & salubre hoc elementum sæpiùs extitit. Adhuc illi gratas se exhibent Syracusæ, post exustas Archimedis artificio Marcelli naves: Adhuc & Hercules, cujus rogum Oeta & flamma illustrat. Phœnix eidem referat vitale bustum, aurum puritatem; ferrum, quòd diversos in usus & formas emolescat. At ignibus nocturnis quot ad lucernam Aristophanis impalescentes animæ Sapientiæ debent lumina? quot in Pharo excitatis ignibus portum cursúmque felicem Argonautæ? Thure supremum numen placatur; sed quid

hoc proficit absque igne? nec aræ ullo pulchriùs quàm ignibus collucent; nec festivos plausus quidquam illustrius adornat quàm ignes triumphales &c.

Patet Secundò in Vituperio aquæ & laude: Friget jam aquæ gloria, dum quæ orbi damna intulit, cursim refero. Dolet Tuas Lisymachus vices, qui siti urgente pro pauxillo aquæ servitutem emere coactus, in cratere subijt naufragium libertatis. Multis insuper nullum gravius cum Tantalo supplicium, quàm ab aqua. Hyacinthi & Narcissi gloriam aquæ præfocavere. Stagyræ Aristotelem Euripus abstulit. Thraseæ Vati etiam ipsa undæ pollicitatio Ægypto sitiente obfuit. Antonij copias non tam hostiles copiæ, quàm dira è venenatis aquis lues delevit. Quid quòd nullibi scopulos & brevia, nullibi syrtes reperias, quàm in aquis, quæ tot divite gaza onustas hausere onerarias, & dum reficiunt, interficiunt? Sed tamen sit sua & aquis gloria, quæ non uni navalem ùt coronam, sic gloriam detulere. Fundunt hæ inter tumidos fluctus sæpiùs uniones, imò aureis fluctibus in Hebro Tagóque intumescunt orbémq; ditant. Ganges ipse & Pactolus auri natale solum, quas cum limo non invexit urbibus opes? Bajana littora, quos non depulerunt morbos, & cum aquis salubribus propinavere sanitatem? Primam animi labem non aliud eluit quàm aquæ elementum; noxas nil citiùs delet, quàm lacrymæ &c. &c.

Patet tertiò in plurium rerum misto laudi vitupe-

tuperio: Nox somnos conciliat, sed furtis & insidijs opportuna, sceleribus infamis. Tenebræ Areopagi celebres; sed Cimmeriæ odiosæ. Dies à sole illustris, sed sæpiùs illi Thyestæa culina lumen intercipit. Tecta splendida, & cultus vestium injurias Cœli arcent; sed non fastum propulsant ab animo. Pomũ Fenellæ auro nituit; sed latentibus intus telis instructum Cenneto nocuit. Cretica vitis vel Falerni botrus non tot acinos, quot damna parturit: Non semper vitam propinarunt vites, fortè hinc nomen sortitæ, ut immodicum earum usum vitandum noris. Nectar hoc in poculum Circes non rarò degenerat, & Campana vitis non unum Annibalem dissolvit. Quid plura? lætitia in votis est, quæ Sophoclem exanimavit, ùt Risus Zeuxem, Anacreontem uvæ acinus &c. &c.

III.

TErtiò, Juvat ad hunc modum Eloquentiæ versatilis faciliorem reddendum lectio, peritia Historiarum, Sententiarum, legum, consvetudinum. Item usus similitudinum seu parium. Sic pro Rege eligendo, alio adhuc superstite dum ageretur in Polonia, adduci poterat exemplum Boleslai novennis coronati à Polonis Rege Parente tunc vivente & consentiente: Item Ferdinandi III. filium Ferdinandum IV. in Regem Romanorum coronantis.

Quartò, Altera pars opposita priori Orationi faciliùs contexitur; nam magna pars illius so-

Iam ſibi vendicat refutationem ſuperioris, quæ facilior. Ubi nota poſſe interdum verbis eludi priorem Sententiam. v. g. dicebatur ſuprà per Electionem poſſe optimum Principem eligi. Reſponderes: Poſſe quidem. Sed eligitúrne ſemper Optimus? Item poſſe dici rationibus illis ſubeſſe aliquid, & latere, quod non viderit auctor.

Sed cùm verſatilis hæc Eloquentia in utrumque ſit expedita, Confutationis locos modóſque debet habere exploratos. De hac in præſens brevibus te inſtruam.

Primò, In Confutatione multa indignatione, multa urbanitate alicujus interrogationis tela adverſariorum hebetantur Item, procaces Sophiſtas ſæpè frangit argutior interrogatio vel argumentatio.

Secundò, Adverſæ rationes ſæpè diſſimulandæ, elevandæ, in ambiguum trahendæ: aliquando ſecum pugnare oſtendantur, nec conciliari poſſe, nec in rem hanc vel Perſonam cadere.

Tertiò, Pugnatur aliquando cæſim contra multas & exiles rationes, aliquando diductiùs res urgetur, &, quò plus caloris ac ſpiritûs habeat Confutatio, dialogiſmis permiſcetur, ironijs, ſubjectionibus, Conceſſionibus, concisè vibratis Propoſitionibus, ac alijs, quibus vis & ardor Orationis magis invaleſcit.

Quartò, bene fit Confutatio per conglobatas rationes magna vi & celeritate vibratas. Uti Cicero pro Cælio, ubi ait; In crimine ipſo nulla ſuſpi-

ſuſpicio eſt, & in re nihil argumenti: in negotio quod actum eſſe creditur, nullum veſtigium ſermonis, loci, temporis: nemo teſtis, nemo conſcius nominatur: totum crimen profertur ex inimica, ex inſana, ex crudeli, ex facinoroſa domo; domus autem illa, quæ tentata ſcelere tam nefario, plena eſt integritatis officij, religionis &c. cur illi venenum daret Cælius? nè aurum redderet; num petivit? nè crimen hæreret? num quis objecit?

Quintò, in levibus multis refutandis non immorandum, ſed ſingula carptim perſtringenda. Vid. Cicero. pro Plancio.

Sextò, Confutatio pulchrè ſolidéque miſcetur ſerijs rationibus, & Ironijs aculeatis; ùt in Piſonem Cicero. Item per coacervationem Exemplorum; ùt pro Milone num. 7.

Vide hæc ferè omnia in uno Quintiliani exemplo, ubi pro cæco incuſato patricidij ſic ait: Cæcus ergo parricidium cogitavit: cum quo? cujus ſe commiſit oculis iturus per totam domum? quem ducem elegit ille, qui erat in cubiculo ſuo ſolus? ſecum opinor, ſecum deliberat; ſufficit ſibi; cum homine expeditiſſimo loquitur. cur enim ſocium conſcientiæ quærat? omnia poteſt ſcire: primùm nox quando ſit, deinde proſpicere ſolicitè, an omnis familia dormiat: gradu ſuſpenſo certa ponere veſtigia, & in omnem timoris ſui partem ſolicitum circumagere vultum. ô quàm parum eſt in metu ipſos etiam oculos habere! Non ille ſibi dixit: Nocte ſolus egredior,

dior, ſed quando perveniam? putas non junctis habitare liminibus? Item domus inter Patrem filiúmq; media: quantum erroris, quantum moræ! ſpatium ingens & vix metiendum. Cæcitas inconſulta quid agis? nox antè deficiet. Quidſi deinde Senex vigilaverit? quid ſi noverca? Age limē inveniam, cardinem ſinè ſtrepitu movebo, quieſcentē feriam Patrem, nec familia vigilabit? ſecurus egrediar, Sciente nullo revertar? vota ſunt iſta, ſed oculorum; cæcus deſperet etiam, ſi tam multa nox pollicetur &c.

Quintò, Nota inſuper in ijs, quæ non ſunt reprehendenda nec laudanda, ſi oppoſitum agere velis propter exercitium hujuſmodi, apparentes rationes & aliquid tantùm in cortice & ſpecie tenus concludentes, ac ex quadam analogia ductas, poſſe afferri. Ut in laude cæcitatis Aſclepiades cæcus dixit, quòd illa hominem uno comitatiorem reddat. Imò ſic auguri Tireſiæ, ſic Homero ſimilis evaſiſti: nox illa frontis perinde eſt, ac nox diem ſubſecuta. Sic & in laude ſenectutis alius: Ad ſenium aſpirat, quiſquis mortem odit. Ipſa etiam canities, quam non extorquet reverentiam? Certè non minorem, quàm olim Spartæ, ubi ea cano capiti veneratio habita, ut in paræmiam abierit; Non expedit niſi Spartæ ſeneſcere. Denique nè qua pars gloriæ ſenio deſit, etiam ſplendet in purpura, eminet in Quiritium conſeſſu: &

A ſenio nomen mite ſenatus habet.

Sic & in laude morborum; Febris enecat, ſed ſæ-

ſæpiùs tantùm noxios abſumit ac excoquit humores. Chiragra te infeſtat? modicum expendes uſu manuũ deſtitutus. Pedibus captus es? fugæ turpitudo haud tibi timenda. Morbi te alij lecto affixere? habes, unde tolerantiæ coronam decerpas.

Sic & in laude tenebrarum: Nec tenebræ laudis & commodi expertes. illæ quidem lucem tibi auferunt, ſed hoſtibus te celant. Nox tibi non ingrata: at tenebris involvitur; theſauris inhias, quos tamen in tenebras abſtrudis.

Sic & in laude quorumvis hoſtium: Etiam hoſtilis tibi conducit rabies, quæ gloriæ Tuæ ſeges & auctor eſt. nunquã tibi laurea triumphalis obtingeret, niſi hoſtis eam tibi necteret: nunquam erigerentur trophæa, niſi hoſtilis ſe tibi feritas opponeret. ab hoſte ſeu cadas fortiter, ſeu eundem cædas ſtrenuè, laurum refers.

§. III.

Quoad ſecundum.

AD hanc Eloquentiæ ſpeciem ſpectat poſſe optimè dicere in quavis Circumſtantia, etſi aliter in luctu, aliter in communi plauſu; aliter Principi, aliter Civi: aliter erudito, aliter rudi; aliter Romæ, aliter Utopiæ. Et quidem huc ſpectat etiam idem argumentum poſſe tractare aliter & aliter variatis circumſtantijs rerum, temporum, Perſonarum, Locorum.

Sic v. g. Salutatio Regis aliter adornanda foret nomine univerſitatis, aliter nomine Cleri, ali-

ter nomine exercitûs: Universitas enim diceret: Ultimi nos Cultores ad Tuæ serenantis omnia Majestatis pedes affundimur; si quid ultimum esse potest in eo cultu & laudibus, quibus nulla finem allatura est ætas. Stabat eminus Apollo noster, neque confertam tot populorum plaudentium coronam perrumpere poterat; hoc uno desiderium solatus, quòd vel oratoribus opus non esset, ubi gesta Principum perorarent. Sed perrupit tandem & ad solium Tibi evadenti vix aliud post Procerum plausus reliquum habuit, quàm ut in vota sese effunderet. Apprecari libet licétque, ut Tecum Tua felicitas sceptra capiat, Tecum Tua virtus coronetur. Imple factis fastos æternitatis &c.

At Cleri nomine aliter idem præstares. v. g. sic: Effusâ in plausus Patriâ, etiam in Tuæ Majestatis cultum aras elicis, Regum Fortunatissime. Clerum quidem à tributario censu Sacra eximit immunitas, adhuc tamen ubi Tui venerationem terrena indixere Solia, coronato vertici efficit vectigalem. Numen si colimus, etiam terræ Numina. Unum id tributum libenter solvimus, cùm terrenæ Majestati pro aris & focis pugnaturæ cultum imperat &c.

Eundem post luctum aliter salutares pridem inauguratum: Etiam id Regium est vel inter lugubres atratæ Patriæ umbras Serenitatis radios latè spargere. Alibi Phœbus post nubila, hìc vel inter nubila svaviter renidet. Novum id Solis ingenium est, in cujus naturam, Regnorum lumina,

mina, tranſijſtis, ſerenare omnia quæ nativo ſidere afflaviſtis. Id vobis ingenium, ut æquiore anima luctum in animo quàm ullas in imperio nubes patiamini. Hodierna dicto fidem aſtruit Urbis hujus felicitas, ad quam non tam de via, quàm de Majeſtate deflexiſti Regum Sereniſſime &c.

Sed à pluribus exemplis abſtineo, toties enim dictas Circumſtantias alibi illuſtravi, ex quibus modum tranſſumas ad quaſvis Circumſtantias alludendi.

Quoad tertium.

ETiam id verſatili huic Eloquentiæ glorioſum, poſſe de quacunque materia concinnè & laudabiliter dicere; puta de profana vel Sacra, Hiſtorica vel Politica, Philoſophica vel Theologica.

Ad quod te duo juvabunt maximè. Primò notitia alienarum etiam à te tuóque ſtudio materiarum; quas ſi non didiciſti, coneris intelligere ſaltèm ruditer ex earum perito. ùt ſi de Materia Philoſophica velis aut Præfationem aut Dedicationem Theſium, aut ejus laudem ſcribere & ſic de alijs. Secundò, Vide exempla quæ paſſim extant, ſcribentium in hujuſmodi materijs. Ut ſunt Dedicationes Concluſionum Philoſophicarum, Theologicarum, Præfationes &c.

Illud hìc maximè obſerva: Ex verbis quæ in illis ſcientijs vel artibus uſui ſunt, etiam non bene penetratis, poſſe & debere te ſenſus aliquos & acumina eruere. Sic enim aliquid etiam earum

mate-

materiarum rudis ad plausum dicere poteris, maximè accommodatis ad id eruditionibus. Illustrabo id exemplo:

Erat quidam probaturus omnes scientias sui studiosis esse laudabiles & gloriosas; sic de Philosophia, Mathematica, Medica, Theologica id ostendit:

At nec Philosophica facultas absque gloriæ stipendio, quæ cum Antonino in Solium eluctata, in Platone à Siculo Rege laureatâ navi pompâ regali deducta in Peripateticorum Principe, per Alexandrum opulenta, etiam Regios fasces tenuit cum Trismegisto, fuítque qui nullius caput par ferendo Diademati censuit, nisi quod priùs hæc Scientia initiasset ad Coronam. Quamvis & ipsi, de quibus dilucidè tractat, Cœli lacteam vel ipso atramento viam Philosopho aperiant, & triplex de Anima liber viam inspiret immortalem. Ipsa etiam non satìs explorata Continui compositio continuas, Infiniti indagatio pœnè infinitas eidem inscribit Panegyres, Quantitas magnitudinem, Tempus æternitatē nominis, Locus amplitudinem gloriæ pollicetur: denique ut eorum utar vocabulo, Ens rationis digniorem hoc nomine laudem Philosopho transscribit.

Mathesis verò, seu ex falsi regulis purissimam, seu ex aurea trium regula auream eliciat veritatem, an unquam paribus caruit stipendijs? Dicent Syracusæ, quos illi honores Marcellus destinaverit, cœleste Archimedis ingenium veneratus

ratus in effigia, quam Cœlo artifice, arte Dædala elaboraverat cœli molē. Nec Arati nomen nulla non exarabit posteritas, qui ijsdem cœlis suum inscripsit nomen, quorum stellas in terrestre transtulit Firmamentum. Non alios deprehensæ in Sole maculæ umbris & situ oblivionis eximent: alijs ingeniosus in quadrando circulo labor negatum hactenus plausum destinat; alijs Machinæ perpetuò Motricis irrequieta moles Orbem in perpetuum devovet Oratorem.

Quid de Medica facultate, quæ non minùs opum ex Hippocratis corrogat Aphorismis, quàm quæ sint Crasso diviti pares, Persidi invidendæ. Hanc coluit & Dionysius in regno, & Constantius ac Adrianus in imperio. Pæonem insuper ac Æsculapium ob hanc fatalem morbis scientiam Dijs inseruit antiquitas, quòd dum alijs herbam porrigerent, simul de luce corporum, de mortis minitabundæ discrimine triumpharent.

Nec Jurisperitos prætereo, qui præterquam quòd è sui numero Ivonem Cœlo inscripserint, etiam extra Cœlum regnant.

Quid Theologia? Eam suis nominibus consecravere Cœlites, & insuper acumen illi Augustinus addidit, Patres argumenta, Thomas omnia. Ubique illa reliquis Divinior, seu Gratiæ limites non ultra libertatis ponat terminos, seu DEUM in carne proponat, seu in seipso luculentiùs & Personis. At Eloquentiæ honores quàm reliquis antecurrunt! Audijmus eam *Solio* donatam

natam Athenis, curru Imperatorio in Dione, laureis in Nestore, statuis aureis in Gorgia, Romanis fascibus in Tullio, regnis & coronis in Proæresio &c.

Huc spectant præfationes Philosophicæ, quarum aliquæ superiùs.

§. IV.

Altera pars versatilis in omnes partes Eloquentiæ:

Posse quocunque stylo laudabiliter dicere.

Id verò præstat hæc Eloquentia dupliciter.

Primò dum loquitur stylo auctorum laudabilium insistendo; puta nunc Tulliano more, nunc Lipsii aut Puteani, nunc Plinij vel Senecæ &c. Sic loqui nemo poterit, nisi legendo hos autores, sibi eorum styli normam impresserit.

Exemplum tamen hujus videre licet in Gvinisij Allocutione tertia, ubi stylo Ciceronis optimè quandam Historiam is Auctor pertractat, ùt & Famianus in Prolusionibus Academicis stylum variorum Poëtarum feliciter imitatur, Academiâ secundâ.

Secundò, dum stylum variat etiam in eadem sententia; nunc eam concisè & presſè, nunc uberiùs, nunc acutè, nunc eruditè, nunc leniter, nunc vehementiùs efferendo. Sit v. g. hæc Sententia vario stylo efferenda:

Cave Otium: nam est causa libidinis.

Hæc Sententia stylo vario sic effingetur ab hujus

jusmodi Oratore, qui hìc instruitur. Sic inprimis stylo presso & conciso dicet:

Par est omne odisse vitium, sed otium vel maximè: Pudori ludibrium timeat, quisquis hoc non formidat: Marcet ille, si quis otio emarcescat. Unicus hic hostis virtutis robur enervat; nec verecundia in tuto, ubi molle hoc desidiæ telum excepisti.

At stylo Allegorico sic idem efferet:

Vitia quisquis nescijt, sæpe didicit desidiâ magistrâ. Nullibi certiùs Pudori naufragium, quàm ubi in otij vada impegisti. Mare hoc Pacificum nunquā tutò enavigas: æstuat illud, & sæpe alios æstus parit. Si Pacificum dicitur, haud illi te commiseris: Veneris natalibus infame est; in his stagnantibus undis Venus natà. Tu, si odor virtutis & famæ placet, hæc vada effuge: fætet sæpiùs, quidquid stagnat:

Et vitium capiunt, ni moveantur aquæ.

Stylo autem ampliori sic idem efferret.

Vix quidquam fatalius virtuti, vix exitio pudoris opportunius, quàm si quis à virtutis proposito tantisper ad desidiæ confinia, à laboris tramite ad prærupta ignaviæ sese abripi patiatur. Hæc illa est virtutis noverca, verecundiæ scopulus, puritatis contagio, pudoris naufragium, fomes libidinis, luxuriæ incentivum, castimoniæ parricida. Quisquis semel otio se permisit, non illum timor supplicij ad scelerum horrorem, non spes præmij ad honesti studium, non virtutis pulchritudo ad vitæ purioris amorem incitabunt,

bunt. Quis ergo deinceps se inerti otio dedere? quis torpere desidiâ velit?

Stylo erudito sic idem efferret:

Otium quis non horreat? infame vitium est: parit Sardanapalos. Regnum Veneris est in hac Campania. Nullus Ægystus, postquã se desidiæ mancipavit, suâ Phœdrâ caruit. Nec Annibalem in luxum quidquam emollivit, nisi Campana otia. Nunquam molle virtutis iter est, nec verecundia bene unquam inertiæ sinu conquievit. Ergo quisquis florem hunc æstimas, Floram hanc time.

Stylo acuto sic aliter idem efferret:

Perijt pudor, cui tempus otio perit. Roseus nempe Pudor est; at Rosa hæc curarum laborúmq; spinas amat, nec citiùs quàm ad otij nomen erubescit. Quod si desidia Cyprios ignes alit, etiam hæc flamma Rosis nocet: æstu nimio aduruntur flores & marcescunt.

Ut verò alteram hanc Versatilis Eloquentiæ partem laudémq; assequaris, ea tibi usu faciliora primò reddes, quæ de stylo amplo, allegorico, acuto, erudito, in primis capitibus traduntur.

CAPUT III.

Tertia Species Eloquentiæ.

ELOQUENTIA Scholastica, extraordinariè perpolita.

ETsi Eloquentia Scholastica possit esse extemporanea vel versatilis, de quibus proximè actum;

actum ; tamen hæc non est ordinaria, nec in tam frequenti usu. posset quidem dici extraordinaria, sed alio sensu, quàm hìc sumatur. Ut ergo tertiam hanc Eloquentiæ speciem ab alijs internoscas ;

Adnota 1. Eloquentiam Scholasticam hìc contraponi Eloquentiæ Civili, de qua alibi. Eloquentia hæc vel est Ordinaria seu de Materia ac argumento quod communiter occurrit seq; offert Oratori pertractandum ; hoc enim si extraordinariè juxta mox insinuanda tractetur , ad novam Admirabilis Eloquentiæ speciem pertinebit: vel Eloquentia Scholastica est Extraordinaria, in qua videlicet aut argumentum non ità obvium , puta Inventio quoad Propositionem non vulgarem ad argumenta; aut Materia dicendi præter ordinem & usitatum Oratori & eventis communibus morem occurrens.

Adnota 2. Ad id ut hæc Eloquentiæ species extraordinariè sit perpolita (quod eam reddit admirabilem) non aliud requiri , nisi ut insistat decem Fundamentis Eloquentiæ admirabilis , quæ initio libelli hujus fusè sunt declarata. Huc ergo imprimis spectat Inventio Propositionis non obviæ, de qua cap. 3. & 8. Huc spectant dicta de mira argumentorum & circumstantiarum combinatione , de varijs modis tractandi non obviè argumenti : huc sensus admirabiles , mirum acumen , mira suísque locis adhibita eruditio, & alia de quibus ibi egimus. Hæc extraordinariè perpolient Eloquentiam Scholasticam in argu-

argumento tam ordinario quàm extraordinario.

Adnota 3. Ideas talis Eloquentiæ te habere tum in Plinij Panegyrico, tum in Orationibus Joannis Baptistæ Ferrarij, tum in Panegyricis scriptis à P. Paulo Kühn, nempe Arcu Pacis, Trophæo Regali, Gratijs immortalibus, tum in plerisque Panegyricis recentiorum. An verò in meis Orationibus saltèm umbra hujusmodi Eloquentiæ deprehendi possit; ad Oratorem Marianum seu Panegyricos Beatæ Virgini Matri ejúsque Divis cultoribus à me inscriptos te rejicio, illud te præmonitum volens, me nec tantillum mihi de admirabili stylo arrogare, nec arrogantiùs id evanidæ putidæque laudis à lectoribus mendicare.

CAPUT IV.

Insignioris Quarta Species Eloquentiæ.

ELOQUENTIA Civilis seu Politica extraordinariè proposita.

ETiam Eloquentia Civilis suâ non caret excellentiâ, si quibusdam insistat legibus. Porro eloquentiam Civilem intellige tum eam, cujus usus in legationibus; tum eam cujus usus in curia & senatu; tum eam quæ Ducem concernit, cujus Oratio sæpe magis militum animos acuit quàm tubarum clangores; tum eam cujus usus est in Officiosis Orationibus, ut sunt Salu-

ratoriæ, Gratulatoriæ, Gratiarum actoriæ, funebres &c.

De his quia proprius fuit agendi locus in Svada Civili (id enim vel hoc ipsum nomen illic tradere svadebat) illic toto libello egi, quare hic cramben odiosam non recoquo, aut resorbeo. Illud te monitum velim, admirabilitatem & plausum Civili huic Oratori parere non tam Scholasticū plausibiliter agendi modum, quàm Civilem & juxta politiæ leges operosiùs conformatum. quo conferet, si non tantùm Tacitum ejúsque arcana, si Politica Lipsij vel Chokieri, aliáque hujusmodi tibi familiaria reddideris, si Regni tui historiam aliorúmque pernoveris; sed si insuper Politicos Oratores, ubi licebit, audieris, legeris, & ex ijs ea in plausum parandum traxeris, quæ plausum illis conciliasse constabit.

LECTOR
hic siste & audi.

HActenus de Eloquentia non vulgari. nam etiam vulgum ac fæcem Oratorum nescio quis advertit Momus, uti & Proceres in hoc Latio ac optimates, vel ùt vetus Poëta vocat,

Florem illibatum Populi Svadæque Medullam.

Ergo quisquis hic ad summum contendis, te vulgo exime. Nam nec Tullio satis fuit Civem Romanum fuisse, nisi inter principes imperij Magistratus, Consulis fasces occupasset. Sed tamen ità Romæ Prætor urbanus aut Cònsul esto,

ut in Attica etiam Proconſulare imperium n detrectes. Quia Romano etiam Tullio adipa & inſipida videtur dicendi ratio, quæ non Att ca. Cæterùm quiſquis noſtram hanc Metho Theon Timónve aut quiſpiam è Catonis fami Cenſorinus laceſſis, non unam cervicem è Ca gulæ voto impetis, quia nec unum caput. In æ tis noſtræ ingenia ictum expedis, qui vel in r unicum aciem ingenij diſtringis. Erras, ſi er diti morem ſæculi & ad limam ætatis expolitu orationis genus, eloquentiæ faſtum vel probru putas. Vetus ſi non deſipit, nec novitas (ſi q hic reſidet aut relucet) ſuâ caret illecebrâ; nec alia Scenam citiùs merentur ac theatrur quàm quibus ineſt raræ plurimum novitatis.

Sic Roſa veris quidem eſt propria, tamen lim veteris Romæ aſſenſu, & hibernæ preti commeruere Roſæ, miſſile Ægypti munus, q id tunc inſolens, quia novum. Nè tamen in gratuitò malignum Momi ingenium ac mu exerceas, ſic te, ſeu ex Chriſtianæ legibus di plinæ, devoveo, ùt Fuſcum Oratorem Bilbili nus Vates: Etſi à me alienus Orator ſis, adl tamen

Te fora mirentur, Regíſque palatia laos. dent,
Excolat & geminas plurima pal fores.





INDEX CAPITUM PARTIS I.

De Fundamentis Eloquentiæ Specialis.

CAPUT I.

COROLLARIUM.

Modus leves & obvios sensus reddendi graves & admirabiles.

Fons 3.

CAPUT V.

SECTIO I.

SECTIO II.

CAPUT VI.

CAPUT VII.


ra-

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

FINIS.





SUMMA
Privilegij Cæſarei.

Cùm terna Opuſcula: SVADA nimirum CIVILIS, PHOENIX RHETORUM, & ELOQUENTIA RECONDITIOR operâ & ſtudio P Joannis Kwiatkiewicz Societati JESU concinnata in lucẽ denuo pro deant; omnibus Typographis & Bi bliopolis per univerſum Romanum Imperium, & Provincias Hæredita rias amicè intimatur, nè ea quiſpian recudere, ſinè expreſſo Societati conſenſu, præſumat, ſub gravibu pœnis, in Diplomate Cæſa- reo latiùs expreſſis.





